

67.ED.00087\_OP03780

This work is licensed under a [Creative Commons Attribution 4.0 International License](#).  
Permissions beyond the scope of this license may be available at [customer.service@beic.it](mailto:customer.service@beic.it).

Quest'opera è distribuita con Licenza Creative Commons Attribuzione 4.0 Internazionale.  
Permessi oltre lo scopo di questa licenza possono essere richiesti a [customer.service@beic.it](mailto:customer.service@beic.it).

FOLIANUS Sigismundus

Epistolarum libri v

Mediolani 1579

[Venetiis 1587]

Ni BNB

25 140. 29. ~~29.~~

[22. IX. 24]

107. 682

46

SIGISMUNDI

FOLIANI

BURMIENSIS

EPISTOLARVM

LIBRI V.

CV M PRIVILEGIO.



MEDIOLANI.

Apud Pacificum Pontium.

*Summa Priuilegij.*

**P**HILIPPI Regis Hispaniarum &c. Ducis Mediolani &c. Priuilegio cautum est, ne quis ante sexennium libros epistolarum, & carminum Sigismundi Folianni, citra ipsius Sigismundi voluntatem, imprimat, aut alibi impressos importet, venalesue habeat, intra Ducatus Mediolani fineis omneis. qui secus faxit, amissionis librorum, & pœna Fisco Regio exsoluenda mulctabitur: ut latius patet in ipso diplomate. quod datum fuit Mediolani IV. Idus Februarij. M. D. LXXIX.

SIGISMUNDVS  
FOLIANVS  
BVRMIENSIS.

Illustrib. honore ac nomine iuuenibus  
Scipioni, & Io. Baptista Guerre-  
rij, Hieronymi V. Clar. filijs.

S. D. P.



ICTVS ami-  
corum preci-  
bus, qui me,  
ut meas episto-  
las ederé, diu  
recusantem ro-  
garunt, eas tandem, ut fere om-  
neis ex tempore scripsi, vestro  
nomini inscriptas emitto, Nobi-  
lissimi Guerrerii; non dignas for-  
tasse, quæ ab illis legantur, qui

etiam in iis, quæ subito fundun-  
tur, peccari putant, nisi plurimi  
illigati sint & verborum & sen-  
tentiæ lepores; sed aliis gra-  
tas (spero) futuras, qui infinitos  
prope labores ei exhauriendos  
fuisse intelligunt, qui vel medio-  
crem pure Latineq. loquendi fa-  
cultatem sit consecutus: quam  
quidem affectum esse me non  
profiteor; certe secutum præ me  
fero. Cur autem recusarem, ef-  
fecerat, cum difficultas iis satis-  
faciendi, qui in aliena scripta  
detrahendi studio incurrentes,  
quidquid ipsi non fecerint, pro-  
bare non possunt; tum, quod  
verebar, ne quis me impudenter  
facere existimaret, si post Clar.  
V. Bembi, Sadoleti, Manutii, &

quo-

quorundam aliorum epistola-  
rum, eleganter ornateq. scripta-  
rum, editionem, in apertum re-  
ferre meas, & me, quasi cum illis  
viris essem æquandus, inferre  
& intrudere auderem: tamen  
in altero intelligebam, nihil  
mihi separatim a reliquis scri-  
ptoribus vsu venturum; in altero  
etiam mecum præclare actum iri  
arbitrabar, si talium virorum um-  
bram quasi secutum longe ab il-  
lis, aliquo tamen in loco, æqui-  
rerum æstimatores me collocas-  
sent. Sed coactus, ut dixi, cede-  
re precibus amicorum, qui causam  
rationemq. adferrent, cur  
id negare non deberem; ex om-  
nibus, qui de me optime sunt me-  
riti, atque auctoritate valent plu-

† 3 ri-

rimum, delegi Vos, quibus hi li-  
 bri epistolarum inscriberentur;  
 vt non modo, quemadmodum  
 ipse, quando in morbum incidi  
 pæne desperatum, optimis me-  
 dicis per vos ad me adductis, il-  
 lum depuli, vestrisq. aduersæ res  
 meæ facultatibus subleuatae fue-  
 runt; ita hi libri, vestro diuulgati  
 nomine, ab inuidorum, quibus  
 referta sunt omnia, obtrectatio-  
 ne sint tutiores: sed etiam gratum  
 & beneficii in me vestri memorem  
 animum meum ipsa testetur inscri-  
 ptio. Si igitur tanta eos benignita-  
 te acceperitis, quanta in me estis  
 vsi; iam id ipsum, cuius causa vobis  
 inscribendos existimaui, plane  
 consecutus videbor. Valete. Me-  
 dio lani. Idib. Martii. M. D. LLXXIX.

INDEX EORVM,  
 ad quos epistolæ missæ  
 fuerunt:



**A**

<b>A</b> LEX ANDRO Panigarolæ	70, b.
Andræ Antonino	64, b. 65, a. 66, a. 73, b.
Annibali Cruccio	86, a.
Anfideo Foliano	16, b. 17, a. 17, b. 18, a.
Antonio Brignano	10, a.
Ant. Mariæ Valleio	12, b.
Ant. Mariæ Venusto	29, b. 30, a. 30, b. 119, b.
Auiano Saluio	76, a.

**B**

BERNARDINO Guanzæ	14, b.
-------------------	--------

**C**

CÆSARI Cicereio	1, a. 11, b.
Cæsari Ferrario	60, b. 61, a. 61, b.
Cæsari Pufferlæ	56, a.
Camillo Troctio	125, b.
Conrado Plantæ	38, b.
Cornelio Pergulæ	36, a. 37, a.
Christophoro Schincæ	9, a.

**D**

DECVRIONIBVS Castrinoui	41, a.
Dominico Botefino	140, a.

**F**

FRANCISCO Cicereio	6, b. 11, b. 88, b.
Francisco Croto	15, b. 56, a.
Francisco Iolito.	53, b.

I N D E X .

Francisco Quadrio . 36, a.  
Francisco Villanouano 34, a.

G

GABRIELI Falopio 34, b.  
GENESIO Rosano 55, a.  
Georgio Sultano 19, b. 20, a.

H

HERCVLI Valerio 127, b.  
Hieronymo Montio 69, a.  
Horatio Callorio, & fratribus 131, b.  
Horatio Foliano 7, b.

I

IACOBO DARMELO 115, a.  
Iacobo Venusto 10, a.  
Ioanni Andreae Trizano 76, b. 78, a.  
Io. Baptistæ Foliano 22, a. 22, b. 23, a. 28, a. 28, b.  
Io. Baptistæ Rainoldo 85, a.  
Io. Baptistæ Rafario 121, b.  
Io. Baptistæ Valleio 16, a.  
Ioanni Burgundio 11, a.  
Ioanni Caio 64, a.  
Io. Iacobo Botatio 79, a.  
Io. Mariæ Giesio, siue Ecclesio 82, b. 83, b. 87, a. 112, b.  
Io. Mariæ Agathio 80, b.  
Io. Paulo Vbaldino 54, a.  
Io. Petro Marchesonio 53, a. 67, b. 127, a.  
Ioanni Sermundo 57, b.  
Iulio Quadrio 55, b.

L

LAELIO Montalerio 50, b. 71, b.  
Ludouico Caninæ 79, b.  
Ludouico Taberio 15, a.  
Ludouico Trino 35, a. 35, b.

M

M. ANTONIO Quadrio 7, a.  
M. Antonio Nattæ 42, a.  
Maffeo

I N D E X .

Maffeo Pyrouano 70, a.  
Matthæo Vassaræ 54, b.  
Micaelo Genesio 10, b.  
Milano Apostolio 91, a. 98, b.

N

NICOLAO SALVETO 18, b.

O

OCTAVIANO Ferrario 72, b. 89, b. 129, b.  
Oliuero Foliano 18, a.

P

PAVLO Sfondrato 27, a.  
Petro Galefinio 129, a.  
P. Paulo Archienfi 38, a.  
P. Paulo Foliano 87, b. 90, b.  
Petro Pergulæ 31, a. 31, b. 32, b. 33, b. 39, a. 39, b. 40, a.  
43, a. 44, a. 45, a. 62, b. 63, a. 63, b. 68, a. 68, b. 69, a. 74, b.  
Pompilio Foliano 21, a.  
Porphyrio Foliano 46, a. 49, b.  
Primo Comiti 76, a. 120, b.  
Pyrrho Vicecomiti 75, a.

R

RAINVTIO Gambaræ 81, a.  
Reginaldo Foliano 19, a.

S

SIMONI Gazolio 130, b.  
Stephano Bernardio 122, a. 123, a.

T

Stephano Guatio 56, b.  
THOMÆ SANDRINO 58, b. 59, a. 60, a.

V

VBALDO Gherardo 128, a.  
Vincentio Beccio 53, b.  
Vincentio Foliano fratri 1, b. 2, a.  
Vincentio Foliano patrueli 6, a. 23, b.  
Vitelliano Vicecomiti 75, a.  
\*. \*. \*. 8, b. 13, b. 21, b. 24, a. 26, a. 57, b. 84, a. 85, b.  
114, a. 116, a. 117, b. 118, b. 124, a. 124, b.

Index

INDEX RERVM SCITV. DIGNA-

rum, quæ his epistolarum  
libris continentur.

A

- A** Cademia quæ fuerit 13, a.  
 Academici qui veteres, & qui noui 13, b.  
 Adolescentes a quibus corrumpantur 21, b.  
 Amicitia uera quæ 65, b.  
 Amicitiam facile tolli, quæ in uirtute fundata non  
 fit 128, b.  
 Amicitiam ad animi fructum referendam 73, b.  
 Amicitia permanens, & iucunda unde manet 72.  
 (b. 128, a.)  
 Amicitiam utilitate uiri boni non metiuntur 76, b.  
 In amicitia nihil fucatum esse debere 62, a.  
 Amicorum commodis, & incommodis æque ac no-  
 stris nos affici 67, b.  
 Amicitiam uoluntate in primis retineri 128, b.  
 Amor cur a poetis cæcus fingatur 23, b.  
 Amorem uirtute conciliari 40, b. 72, b.  
 Amoris, & beneuolentiæ causas non tam usu, quam  
 uoluntate teneri 73, b.  
 Amoris certam significationem dari ex quarundam  
 rerum communicatione. 59, b.  
 Amoris indicia à plerisque dari non uere, & ex ani-  
 mo 85, b.  
 Animorum imbecillitatis in docendo non minorem,  
 quam corporum in alendo, habendâ ratione 112, a.  
 Animal uniuersum quid sit; & quid idem in rerum  
 natura 109, b.  
 Annibalis Cruceij Laus 86, b. 88, b.  
 Eiusdem mors 86, b. 89, b.  
 Annorum Solarium, & Lunarium differentia 47, a.  
 Eorundem cycli conuersiones ibidem. & 48, a. & b.  
 Anti-

INDEX:

- Antiquis in scribendo paucos euadere similes 44, a.  
 Apellis, & Lyssippi laus 8, a.  
 Apellis Anadyomenen corruptam non potuisse re-  
 fici. ibidem.  
 Aristoteles cur in Phycis à confusis scientiæ ini-  
 tium fieri dicat. 91, a.  
 Aristotelis locus explicatus 96, a. 103, a.  
 Aristoteles cur à Categorijs docere cœperit 104, b.  
 Artium inueniendarum quæ uia fuerit 95, b.  
 Ars ab experientia quid differat. 106, b.  
 Arte naturam adiuuari 111, a.  
 Augurandi disciplinâ antiquorum inanem fuisse 51, a.  
 Aurei numeri inueniendi ratio 47, a. & b.  
 Eiusdem cyclus 48, a. & b.  
 Eiusdem inuectores, & etymon, & usus. 47, a. & b.

B

- Barbariem in linguam latinam qui intulerint 3, a.  
 Bartholamæi Riccij laus, & libri de inuentione 4, a.  
 Bene audire cur pauci possint. 81, a.  
 Bene faciendi fructus bene audire ibidem.

C

- Caroli Borromæi Cardinalis laus 116, b.  
 Categoriarum Aristotelis liber ad quem usum. 104, b.  
 Categoriarum ludus ad exercendos iuuenes excogi-  
 tatus. 132, a.  
 Christianam ueritatem omnibus philosophorum sen-  
 tentijs præstare. 124, b.  
 Christianorum hominum opinio de fato 123, b.  
 Ciceronem in primis imitandum 3, a.  
 Clytiæ fabula apud Ouidium quid significet 113, a.  
 (& b.)

Delitiæ



I N D E X .

D

Delitiæ linguæ latinæ qui auctores	44, b.
Decretum, ne ludi magistro non probato iuuentus tradatur	116, a.
Deum naturæ leges dare, & homini tribuere liberam uoluntatem.	123, b.
Deum solum futura omnia scire	51, a.
Deum solum præstare, quæ reddi non possunt	42, a.
Discendi, & docendi quot modi	94, b. 100, b.
Dialectices utilitas	131, b.
Disciplinam à minus notis natura ad magis nota procedere.	103, b.

E

Elocutionem uim quandam mentis esse	107, a.
Eloquentia artificiosa quæ res sit	78, b.
Eloquentia quibus rebus perficiatur	77, a.
Ennij sententia quædam exposita.	20, a. & b.
Epactæ ratio etymon, & usus, & inueniendæ modus	47, b.
Eiusdem cyclus, & numeri	48, b.
Epistolas minime elaboratas probari	42, a.
Experientiæ, & artis differentia	106, b.

F

Fundamenta artis cuiusque intelligendæ quæ sint	100, b.
Futurorum scientiam ex astris certam non dari	51, a.

G

Grammatica apud Priscos quænam esset	107, b.
Grammatici quid profiteantur	101, a.
Grammaticorum laus quorundam	25, a.
Gulielmus Gonzaga Dux Mantuæ prudentissimus	51, b.

H

Hieronymus Guerrerius Mecænas litteratorum	52, a.
Heliotropij etymon	113, a.
Horatij locus correctus, & expositus	50, a.
Honorem	

I N D E X .

Honorem habendum eruditis uiris	60, a.
Humanitatem habere cum grauitate coniunctam difficillimum.	69, b.

I

Imitatio quibus in rebus uersetur	2, b. 4, b.
Imitationem esse necessariam	6, a.
Imitatio rectissima quæ	5, b.
Imitatio num ad certas præceptionis rationes possit redigi	6, a.
Imitatio monstruosa quæ	2, b.
Imitatores mali qui	5, a.
In imitandi ratione quinam optime uersati sint	4, b.
Imitari quos auctores debeamus in latine scribendo	2, b. 16, b.
Iudicij acris homines cur obliuiosi	127, a. & b.

L

Latine, & nõ inquinare scribere magni negotij	33, a.
Leges naturæ antestare priuatis	22, a.
Legum, & medicinæ dignitas atque utilitas	131, a.
Libri qui legendi sint, a pueris indiscenda lingua latina.	16, b.
Linguæ Græcæ, & latinæ discendæ ordo	110, b.
Eiusdem discendæ exordium unde capi debeat,	92, b. 112, a.
Linguam latinam, & græcam arte, & usu simul comparari	106, a.
Linguam latinam totam sub imitandi rationem cadere	4, a.
Litterarum fructus qui	61, b.
Ludi magistrorum laus atque defensio	24, b. 25, a.
Ludi magistrorum bonos malorum turba premi	16, b.
Lunæ dierum qui cursus, & eius noscendæ ratio	46, b. 47, a.
Eiusdem luminis accretiones, & diminutiones	quo-

I N D E X .

quomodo noscantur.	ibidem.
Eiusdem cyclus, & coniunctiones, & oppositio- nes.	ibidem.
M	
Mala, quæ sunt, esse contra naturam	22, a.
Magistri linguæ latinæ qui	53, a.
Magistrū bonū a puero nancisci multū referre	38, b.
Mediolanensi in Ciuitate ueteris sanctitatis exem- pla	116, b.
Medicinæ ac legum dignitas, & utilitas	131, a.
Memoria qui ualeant; & qui minus; & quomodo illa conseruetur.	127, a. & b.
Mundum esse dissolubilem ac cælum	124, a. & b.
N	
Naturæ leges iuri priuato anteponendas	22, a.
Naturalium rerum ac principiorum inuestigando- rum ratio	93, b. 100, b. 101, a.
Neminem à Ciceronis imitatione deterrendū esse; & cur	3, a.
Nobiles qui	8, b. 9, a.
Nobilitas quibus ex rebus spectanda, & unde profi- ciscatur.	ibidem. & 27, a.
Nomina ex instituto significare, item uerba.	102, a.
Nomina hominibus uoluntarione motu, an fato im- ponantur	51, a.
Nomina quæ instrumenta dicantur	109, a.
Nominum quorundam apud Homerum significa- tio.	50, b. 51, a.
Notiora esse, & priora quæ sunt sensui propinqua singula.	100, b.
Numerus aureus qui, & eius inueniendi ratio, & etymon.	47, a. 47, b.
O	
Obedientiam præcipuū hominis bonū quoddā	71, a.
Obscuritatem in scribendo fugiendam	16, b.
Oratio quibus in rebus uersetur	2, b.
Ora-	

I N D E X .

Orationem ex instituto significare	102, a.
Orationis parteis oratione esse priores in cogno- scendo.	110, a.
Oratorix facultatis officium, & finis	79, a.
Otio qui sciant uti, & qui non	20, a.
P	
Paulli Manutij laus	5, a.
Persuasionem sapientix impedire studia	14, b.
Pietatem esse uirtutum omnium fundamentum	71, a.
Poetarum laus	122, a.
Principe a bono neminē dubitare iusta petere	84, a.
Principes etiam boni cur male audiant	81, b.
Principes in lingua latina qui	16, b.
Præter propter uitam uiuitur apud Ennium quid si- bi uelit	20, b.
Pueros erudite laboriosum, & pretio dignum; sed uulgo non satis cognitum.	76, a.
Pythagoras cur usum carniū interdixerit	125, a.
Q	
Qua re ad diuos propius accedamus	19, a.
Quintilianus, & alij qui docuerunt a quadam ca- lumnia defenduntur, & probantur	105, a. 107, a.
R	
Rasarij mors & laus	129, b. 130, a.
Rationem a pueris reposcere eorum, quæ quotidie didicerint utile	58, a.
Regni, & Reip. administratio quib⁹ olim darent	27, a.
Rei familiaris angustiam obstare uirtutibus.	88, a.
Religionem christianam omnibus antestare	51, b.
Rhetorice an ars sit, definitio eius finis, & officium quod	77, a. 78, b. 79, a.
S	
Scriptores qui benemereantur de posteris	17, a.
Sensum non percipere rerum naturam	103, a.
Scriptionem esse optimum studium	60, b.
Silētio nō dirimi amicitias in uirtute fundatas	80, a.
Studium	

I N D E X :

Studium dicare uolentibus alicui arti quæ spectanda sint 131, a.

Suere uerbum apud Terentiū quid significet 127, b.

T

Terentij locus à Mureto correctus exponitur, & confirmatur. 128, a.

V

Vniuersa genera quomodo notiora: & contra. 100, b. & 112. b.

Virgiliarum herbarum natura 123, a. & b.

Virtus ubi non adsit male geri omnia 129, b.

Virtutem etiam in Hoste laudari 15, b.

Virtutem amabiles efficere 40, b.

Virtutem efficere nobilitatem ueram 9, a.

Vitijs, quæ uirtutem imitantur, falli permultos 42, b.

Vituperari ab improbis in laude poni. 81, b.

F I N I S .

S. FOLIANI EPIST.  
LIB. PRIMVS.

Sigismundus Folianus Cæsari Cicereo.  
S. D. P. (Mediolanum.)

Epist. I.



VENVSTO, quæ de te fratremq. tuo uolebam, cognoui; fuitq. ipsius Venusti sermo de uobis per se mihi iucundissimus; multo tamen tuæ ad me litteræ iucundiores: in quibus tuæ in me uoluntatis testimonium illustræ & mirificum inest. quo quidem uno mirifice delector. Cum ego te fratremq. tuum ob egregias uirtutes uestras ac præclaram eruditionem colam uehementer & amem; simq. præterea uestris beneficijs maximis deuinctus: an non uestræ litteræ, in quibus studij & amoris uestri erga me testimonium apparet, mihi uoluptatem incredibilem adferant? Lectiōne tuarum litterarum, Cæsar, desiderium tui meum lenitur; quia eas legens te loquentem audire mihi uideor: cuius in sermonibus consilij & prudentiæ plenis animus & mens mea solita est conuiescere. Te uero meis delectari quod scribis, tuam agnosco humanitatem

A

Q

Et singularem erga me amorem; in quo etiam mihi gratulor. at quod mihi fratrem tuum excusas, curque illi ignoscam, cussam adfers; uelim eidem meis uerbis dicas, eius quidem litteras uel breuissimas instar longissimarum mihi gratissimas fore, quocumque tempore scriptæ fuerint: sed multo illud gratius futurum, si grauioribus studijs, officium ad me scribendi posthabuerit. Vale. Tirani.

Vincentio Foliano fratri. (Burmium)  
Epist. II.

CONSVETVDINEM meam ad te latine scribendi, quam tu probas, frater, seruabo; neque laborabo, quid disciplinis minime eruditi homines, qui oppugnant Latinitatem, contententes eo sermone, quo loquimur, oportere scribi, de re omnium grauiissima disputent, aut de nobis dicturi sint. Horum enim leuitatem grauissimi uiri iam diu confutarunt. Ex multitudinis errore, et insipientum sermone, ne pendeamus mi frater optime et dulcissime. nihil turpius. Ego quidem in morbi, quo me teneri non te fugit, grauitate, hac consolatione maxime sustentor, quod tu mihi frater es, eisdem, quibus ego, studijs deditus; ut longo quamuis locorum inter-  
uallo

uallo disiuncti, hoc tamen genere litterarum sæpissime inter nos colloquamur, et æque uterque delectemur. Itaque quod tu me ad scribendum uocas, et ipse scribendo Latinæ linguæ formam, quam turpi barbarie quamplurimi uitiant, exprimis et tueris; quanta perfundor lætitiæ uoluptate? quam mihi ueletudinis licet incommodo laboranti, facilis tamen et iucundus est rescribendi labor? Perge frater, si me amas, si te quoque a me amari scis, hoc pulcherrimum institutum tenere, ut facis; sæpissime ad me scribe. nihil mihi facies gratius. Quod autem filios tuos Vinætius frater patruelis noster docet, id magnopere et illis et tibi gratulor: optoque, ut, quo auctore nos in studijs litterarum iucunde uersamur, eodem illi in eisdem magistro utantur: cui meis uerbis et ages de hac re gratias, et salutem dices plurimam. Vale. Venetijs.

Eidem. (Burmium)  
Epist. III.

RECTE tu quidem sentis, nobis, quibus non iam ex usu quotidiano, ut olim Romanis, sed ex auctorum lectione lingua Latina discenda est, omnino necessariam imitationem esse. Sed quod scire uis, quos præcipue auctores, et

quo modo imitandos putem; de hoc toto genere breuiter meam tibi sententiam dicam: primum eos omnes, qui aut M.T. Ciceronis ætate & paulo etiam inferiore, aut Scipionis et Lælij uel paulo superiore uixerunt, cum optime locuti sint, imitandos, ut Plautum & Terentium in Comædijs, Cæsarem & Liuium in historia scribenda; & alios in suo genere optimos quosque, ut Catullum & Tibullum in elegijs; Lucretium & Virgilium in heroicis; Horatium in lyricis: deinde cum imitatio in primis uersetur in forma orationis, oratio autem in rebus & uerbis; ab ijs tantum, quorum locutio emendata & latina est, uerba & res, ab alijs etiam doctissimis res sumendas esse: ita tamen, ut unius tantum & illius optimi orationis formam tantum exprimamus. nam nisi ea, quæ ab alijs sumimus, ita conficiamus, ut non appareat character ille, qui auctoris cuiusque proprius est, unde sumpserimus aliquid; ea iam non erit imitatio, sed coaceruatio quædam informis, uelut inter homines monstrum, fugienda. Itaque a puero unius tantum optimi, quem postea imitemur, auctoris lingua discenda est; & cum grandiores erimus, & ipsi poterimus iudicare, quid in alijs optimum sit, & quid minus bonum, alijs legendi erunt nobis; ut, quæcumque ab illis sumamus, eis illius nostri, quem

quem propositum ad imitandum habemus, dicendi formam accommodare possimus. Quod uero in Cicerone omnia, quod spectat ad solutam orationem. (nã de uersibus faciendis fortasse aliàs) quam in ceteris, maiora, plura, & splendidiora sunt; illum præcipue, uel unum doctissimi homines proponunt imitandum. Stultitia enim est, ut fruges, ita dicendi adiumenta, unde commode suppeditentur, nolle sumere. Ea autem, qui a Cicerone in omnibus generibus suppeditari nõ uidet; ne illud quidem scire potest, quod in quolibet genere optimum sit. quo magis illi reprehendendi sunt, qui unius Ciceronis imitandi studium, ut inane contemnent, dum absque delectu omnes imitari uoluerunt, nemini fuerunt similes, & nouam barbariẽ in linguam Latinam intulerunt. Si quis tamen unum aliquẽ ex alijs optimis, quã Ciceronem, malit imitari, laude sua eum minime fraudandum duxerim: sed tamen intelliget, se tantum a Ciceronis imitatoribus præteriri; quantum is, quem sibi proposuerit imitandum, ab ipso Cicerone præteritur. Neque uero quisquam a Ciceronis imitatione deterrendus est, quia omnia, quæ in Cicerone sunt, spiritum, doctrinam eloquentiam consequi non possit: cum ex optimis aliqua, si non omnia licet; quam nihil, uel non optima assequi, longe præstet. Vale.

## Eidem. Epist. IV.

NEQUE negligentia neque obliuione factū est, ut tuis litteris tardius responderem. sum enim cum ad labores omneis, tum ad rescribendum impiger. officij autem, quo mihi nihil antiquius est, qui obliuisci possum? Certe quidem ea tarditatis causa fuit, quod ad indagandum, quæ quæsieras, plus temporis sumpsi. nam difficillimum est, de aliorum scriptis recte iudicare, præsertim si multa in utramque partem occurrant; multo etiam difficilium, duo illa, quæ ad imitationem spectant, in epistolam concludere. Tria enim me rogabas, primum, de Bartholamæi Riccij libris, quos de imitatione scripsit, quid sentirem; secundum, qua in re potissimum uerteretur ac nitatur imitatio; postremum, num in certas præceptionis rationes, atque ad artem redigi hæc possit. quorum ad primum, ut tuarum litterarum ordinem seruemus, paucis respondeo. Cum Riccius eiusmodi libris imitationem primus, quod nouerim, tradiderit, quibus ad rem ut pulcherrimam ita difficillimam facilius aditus patefactus est; nec quisquam adhuc rem obscuram ab eo e tenebris erutam clariorem reddiderit, nullis nimirum Antiquorum scriptis, quæ ei lucem adfe-

adferant, extantibus: magnam sibi proculdubio uir ille laudem comparauit; ac libri illi, ut multarum uigiliarum, summi laboris, & luculente scripti sunt, ita inter eos, qui doctissimis uiris probantur, non in finium locum tenebunt: tametsi nonnullis parum satisfacere uidentur, in ipsa præceptione nescio quid desiderantibus, quod cerni animo & intelligi, atque adeo ex longa frequentiq. lectione bonorum disci potius, quam ulla præceptorum explicatione doceri, posse existimo. Sed tamen tantum abest, ut ei detrahendam laudem arbitrer, ut, si quis unquam uel ad illos libros accessionem attulerit, uel denuo ipsam imitandi rationem susceptam melius explicarit, ipsi Riccio auctori, & tamquam antesignano latinæ linguæ studiosos, cum maximas gratias iam habeant, multo habituros maiores, mihi sit persuasissimum. Quod utinam fieret; non dubitarem Latinam linguam, quæ tota sub imitandi rationem cadit, ad antiquam puritatem aliquando reuocatum iri. de Riccio hætenus. Quod ad secundum attinet, quoniam te, carissime frater, non discendi studio (quid enim a me discas, si tua præclara eruditione mea studia adiuuentur necesse est?) sed ut me exerceas, hoc ipsum, ut alia soles, ex me percontari intelligo; ea lege respondere animum induxi, ut has litteras statim cor-  
A 4 cerpas,

cerpas, ubi legeris, ne, cum nihil insit, præter sententiam meam, a qua tu me tamen, si forte absurda uidebitur, facillime deduxeris, in alienas manus deueniant. Sic igitur opinor, cum eloquentia inuentione dispositione, & elocutione constituitur, in hoc uersari imitationem, ut ad optimi alicuius ex antiquis scriptoribus, quorum in libris incorrupta Latini sermonis integritas spectetur, rationem non solum inuenias inuentaque ordine constituas; sed etiam eloquaris: eumque qui id apte faciat laudem in dicendo scribendoque mereri. Non enim ex alterius scriptis & membra & sententias iutegras, aut uerborum circuitus in sua transferet; sed accepta ab illis aliquo modo mutabit, & uerbis lectissimis ornabit; ut quasi uestitu priore mutato, cum eadem sint, alia tamen appareant. quo in genere scribendi optime uersati sunt Clarissimi uiri Bembus, Sadoletus, Egnatius, Romulus Amasæus, Iouita Rapi-  
 cius meus olim præceptor, \* . . . \* . . .  
 Riccius ipse, permultiq. alij qui iam de uita decesserunt; itemque uersantur, qui etiam nunc uiuunt Victorius, Bargæus, \* . . . Sigonius, Muretus, Lambinus, duo Corradi Marius & Sebastianus, P. Galestinus, Octavianus Ferrarius, Rafarius, Cicerelius, Marchesonius, & ne doctos hic uiros omnibus recenseam, is, qui Latini sermonis integritate

tate atque elegantia, quæ hac, de qua agimus, imitandi ratione continetur, ad antiquitatem proximè accedit, Paullus Manutius, Patri Aldo industria & eruditione par, ingenio & elegantia etiam superior. Neque uero eos, qui ab antiquis clausulas & sententias integras mutuuntur, omnino improbarim, siquidem perfecti similitudinem (ut inquit Manutius) sequuntur quandam: sed quia ab ea forma, quæ in scribendo perfecta est, longissime absunt, in magna laude ponendos non iudicari. memoriam enim magis, quam ingenium, exercentes sæpe incommodius agunt, quam qui calceis ad pedem non aptis utuntur. id quod facillime deprehendes, si horum scripta diligentiùs legeris; ac magis etiam, si cum illorum scriptis, qui rectam imitandi rationem sequuntur, aliquando contuleris. intelliges enim hos eo longius ab optimo scribendi genere, quod imitando quaeritur, abesse, quo illi alteri proprius accedere uidentur. Sed istos, qui ita se exercent, ut, quod dicturi sunt, ab alijs quauis ratione auferant, imitandi uia non progredi, cur ab ipsis Latinae linguae magistris M. Tullio, Cæsare, Plauto, Terentio, & reliquis, quos intelligentissimus quisque sibi imitandos proponit, testimonia nõ sumã? Hi ubique easdem sententias sic in alias transferunt, sic eandem locutionem in res plures accommodant;

modant; ut, quibus figuris, qua uerborum concinnitate atque iunctura perpolita & munerosa oratio redditur, his illas summutando & uariando, numquam sui similes, cum simillimi sint, in eadem re; sed noui in noua oratione semper uideantur. quam unam rectissimam esse imitationem qui negat, is neque scit, orationem quasi amnem quendam esse, cuius in cursu perpetuo aqua semel præterlapsa nunquam (ipsius Riccij uerbis utar) relabatur. De qua quidem certe imitatione sigillatim præcipere infiniti laboris atque doctrinæ esse doctissimi homines dixerunt: quos recte sensisse cum putem, atque ad id, quod in extremis tuis litteris erat quæsitum, potissimum spectet; ordo etiam uidetur, ut, quibus rationibus in illorum sententiam ducar, hoc loco exponam. Iam mi frater, ijs, quæ diximus, satis ostensum est, quibus rebus eloquentia constet, ad easdem imitationem reuolui. nunc illud addo, omnia præcepta, quæ dicendi magistri de illa dederunt, ad hanc itidem pertinere. Verum quando illorum præceptio, seu mauis artem appellare, uniuersas res, ex quibus eloquentiam constare dixi, nõ singulas, in quibus elaborare permagnum est, excutit; ac non solũ in uniuersis, sed in singulis modo multiplici, qui & ipse quadam recondita ratione cernitur, non in promptu est, imitatio uersatur; facile adducor,

ut

ut existimem, magnum & operosum esse unum quemque imitandi modum singillatim attingere. nam præterquam quod difficile est in nostrã rem uerba Latina figuris & iuncturis ad animi sensus exprimendos aptis conuertere; necesse est, quod recta imitandi ratio postulat, primamque laudem meretur, perpaucis cognitum, ut in singulis clausulis numeros ita mutemus, ut suis formis sui pedes reddantur. quæ singula quomodo exequamur docere, quanti negotij sit, ex eo conijcere licet, quod cum necessariam esse imitationem omnes iudicent, ac quæ cum ueteres Rhetores tum recentiores in primis Riccius generatim scripserunt, uiam alijs ad sigillatim de ea tractandum monstrasse existimentur: qui tamen id persecutus sit, nondum inuentus est. Hæc a me frater habes peramanter scripta, quam recte nescio. Tuum certe est, pudori meo consulere: quod facies, si uel correxeris, uel qua conditione scripsi, epistolam consideris. Valc.

Vincentio Foliano patrueli (Burmium.)

Epist. V.

SI meam me manare istuc operam uelle, isti homines arbitrantur, mei commodi magis, quam Reip. causa; malo omnia alia, quam istuc cogitare.



## S. FOLIANI

cogitare . non enim possum committere , ut , dum adfero rei familiari meæ detrimētum , ut de Rep. bene merear , pro mercede etiam tacita reprehendar existimatione . Sin me meis commodis illius commodum anteferre uident , ut mihi necesse non sit , malam ex eorum animis de me opinionem euellere ; mature ueniam , & debitam patriæ pietatem præstabo . non enim Nobis solum nati sumus . Quare tu , qui me ita instituisti a pueritia , ut unam patriam omnes omnium charitates complecti putarem ; qui etiam istorum hominum mores cognoscis : mihi consule , quod & mea & Reipublice intersit . Ex hac enim parte amor in meos pugnat , illinc Patriæ charitas : tu tamen constitues aliquid , & quam primum scribes . Vale .

Francisco Cicereio . (Mediolanum.)

Epist. VI.

**O**PTATISSIMUM nuntium iamdiu accepi , Senatū tibi detulisse munus publice interpretandi bonarum artium scriptores & doctores . quo nuntio letatus uehementer , maximas Deo Opt. Max. gratias egi . Sed quominus tibi per litteras gratularer , pudore sum prohibitus , illud in primis cogitans , tibi meas litteras ualde

OCCH-

## EPIST. LIB. I.

7

occupato opis nihil , molestiæ plurimum adferre posse . nunc autem , cum ex Cæsaris fratris tui litteris cognouerim , te crebro in sermonibus mei mentionē facere ; mihi imperare non potui , quin tibi & gratularer tandem idipsum , de quo eram letatus , & de ista uoluntate erga me tua gratias agerem . Sed pudoris mei illa causa fuit , quod nihil propter ingenij mei formam rudem & impolitam dignum lectione poteram scribere . Verebar enim , ne , si dedissem iuanes litteras , id esset hominis tibi quidem amicissimi , sed tamen facilitate tua nimium abutentis uideretur . quid autem argumenti dabatur , nisi illud in litteras conijcere uoluisset , quod te scire , non me fugiebat , me uidelicet tui memoriam summa cum beneuolentia conseruare ? Quare hoc officium ab animo tui amantiſſimo profectum , si minus hoc quoque tempore necessarium ; iustum tamen ac debitum non aspernabere . Vale .

P. M. Antonio Quadrio . (Pontem.)

Epist. VII.

**L**ECTIONE tuarum litterarum uarie affectus sum ; dolore , quia te in morbum incidisse ; uoluptate , quod ex eo etiam conualuisse significarunt . itaque Deo præpotenti ago gratias , qui te  
senio

senio prope confectum saluum adhuc nobis esse uelit, ob probitatem credo, ac studium, quod gregi tibi ab eo commisso nauas. non enim obscurum est, quos tu labores pro Christi ecclesia feras contra immanem hæreticorum furentium audaciam; ut illorum furorem & petulantiam frangas; ut nostrorum afflictos animos confirmes & excites: qui tua uirtute & opera, secundum Deum, se esse incolumes fatentur; & salutem tibi acceptam referunt. nemo bonus reperitur, qui se tibi plurimum debere non existimet. Sed tua merita nunc uerbis consequi, alienum uidetur. tantum scito, me tuas in Epistolas Paulli annotationes tam probare, quam quod maxime: de quibus quid alij sentiant, quibus eas legendas dari iussisti, cum cognouero; faciam ut intelligas. Vale.

Horatio Foliano. (Monacum siue Cambodonom.) Epist. VIII.

**O** INSIGNEM te pictorem dicam, an fictorem? si magnus Alexander ab uno Apelle pingi, & ab uno fingi Lysippo uoluit; (Editto uentit, ne quis se præter Apellem Pingeret, aut alius Lysippo duceret ara Fortis Alexandri uultum similitudine) si tanti horum artificium fecit, quando, ut testatur Quintilianus, Lysippus quã proxime

proxime ad uerum accessit; alter uero, ut est apud Ouidium, si numquam Venerem Cois pinxisset Apelles, Mersa sub æquoreis illa lateret aquis: cur ego te pluris non faciam, quam ille Apellem atque Lysippum? quippe qui unus mihi præstas, quod duo illi uix potuerunt Alexandro; & naturam non solum imitaris arte, sed etiam præteris. Tu me ex informi formosum facis; illi tantum, qui formosus esset, Alexandrum belle pinxerunt & finxerunt. Sed pigmenta atque figmenta omittamus. Ex ijs litteris, quas a te VIII. Kal. Decemb. scriptas ego Idus Februar. accepi, plus uoluptatis an molestiæ ceperim, nondum constitui. certe quidem habent & quod gaudeam, quia, qua sis erga me uoluntate, declarant; & quod dolcam, cum me talem in eis describas, uel potius fingas, qualem non agnosco. quæ si res mihi umquam facesserit negotium, quia alij tuo testimonio adducti me appellent, te oportebit, quæ de me dicis præstare. Esto tamen aliquid ueri; quis reliquum quod est, audeat absoluere? Me hercule nemo, ut Plinius de Apellis Anadyomene scribit: cuius partem inferiorem corruptam qui resciceret, inueniri non potuit. Quod cum ita sit, rem mihi gratissimam feceris, si me posthac meo modulo metitus fueris; nec dederis cuiquam nostri irridendi facultatẽ. nihil enim homines, præsertim

ferim inuidi, tantopere obseruant, quam eiusmodi sermones. Vale.

. . . . . amici nomine.

Epist. IX.

**S**I nobilitas a uirtute proficiscitur, quemadmodum qui de illa scripserunt, grauissimi auctores affirmant; equidem eius me fautorem ac propugnatorem profiteor: sin autem ex ijs rebus tantum aestimatur, quæ admiratur uulgus; nec quidquam habet, quod ad bene beateque uiuendū pertineat; næ ego illius nomen inane iudico esse; non solum ei non faueo. quapropter, cum ex multorum sermonibus intellexerim, te in fratris mei cōtumeliam nobis humilitatem generis obijcere; mihi faciendum putauī, ut hæc ad te scriberem. Scito igitur me cum tuos quidem maiores, qui rebus gestis ea, quæ hominum opinionibus amplissima sunt, adepti fuere, atque istud nomen tibi reliquerunt, magnos uiros fuisse; te uero, cum nihil laudabile gesseris, hominem esse nequam: tū nos, qui qua illi uirtute nobilitati sunt, eadem ad summum in nostra ciuitate gradum dignitatis adscendimus, pares illis factos, tibi etiam esse superiores, arbitrari. Si enim diligentius attenderis, quid sit εὐγενεία, quid nobilitas; intelliges etiam, aliquem illam habere posse, nec tamen

men hanc esse consecutum. Quando plerique quidem etsi a bonis & illustribus orti sunt parentibus; inueniantur tamen inertissimi esse & flagitiosissimi: quos uere laudare nemo potest; nobiles autem dicere, quomodo? Itaque concludo uirtutem eam esse, quæ ueram nobilitatem faciat; et non omnes ex clarissimis familijs oriundos nobiles debere dici: cum potius εὐγενεῖς sint: Te autem, qui maiores tuos iactas, & nobis obijcis ignobilitatem, ineptum ac leuem hominem esse; neque intelligere nos uere nobiles esse: a quibus nostri posteri tam elarum nomen accepturi sunt, quam tu a tuis maioribus accepisti: qui tamen si, ut tu, uirtute caruerint, erunt εὐγενεῖς, non nobiles. nobilitas enim singulorum ex proprijs nō alienis uirtutibus, quemadmodum ignobilitas ex uitijs, spectatur. quod quia tu ignoras, dum iactas genus tuum, & ignobilitatem alijs obiectas; nihil tibi inesse, quod iure laudari possit, etiam arguis. Vale.

P. Christophoro Schincæ. (Brixiam.)

Epist. X.

**C**ESSATIONIS excusationem, quam adfers, accipio non tam necessariam, quam amicissime scriptam; & mihi magnopere iucundam &

B gratam.

gratam. nam etsi doleo te atatem in litibus conterere, & animo angi, quod tuis studijs impedimentum adfertur; quia tamen, dum tu causas sollicitudinis & impedimēti explicas, de tuo etiā in me amore grauius & amanter agis, uehementer lætor. Sed non es nescius, in uera & recte constituta amicitia non multum requiri, quantum quisque scriptioni tribuat: ego certe minimā partem in ea colenda litterarum officium sibi uendicare puto; quippe cum ubi ille exortus est amor, a quo illa nominatur, quamuis distincti corporibus simus, animis coniunctissimi possimus esse; ut, cum nihil est, quod nostra scire intersit; quē admodum silentio beneuolentia minui nō debet, ita cū litteræ crebriores sunt, eā augere minime possint. scribendū quidem est, (quis hoc faciendum non putet?) cum usus est, quo in genere tibi non deero. Sed metiri beneuolentiam crebritate litterarum non oportet. Proinde etsi eas causas, quibus te excusas, ueras esse intelligo; tuūq. erga me amorem ostendunt; magis tamen iucunda græa q. fuerunt, quam uisæ necessaria. Quod si eas attulisti, quia suspicere, me animo iniquo ferre, quia ad meas litteras subito non respondi; iniuriam tu quidem nostræ cōiunctioni facis, qui in ea rāsiderē istum suspicionē patiaris. Vale.

Anto-

Antonio Brignano. (ad Montemferratū)  
Epist. XI.

**T**vos uersus legi non semel, sunt luculenti. hoc non do auribus. neque enim soleo, aut possum probanda improbare. Utinam hoc illi præstare possem, cuius ad me scripta dederas; non facerem inuitus. de quibus, quod me cogis, quid sentiam, dicere; sic habeto. Redolent iuba pinū nescio quid ac plane Barbarum. sed ὑπὸ παντὶ σκορπίος ἐύδει. Vale.

Iacobo Venusto. (Papiam)  
Epist. XII.

**N**isi te ualde amarem, nisi tua mihi uirtus cognita esset; non equidem in præsentia has darem ad te litteras. Casalenses ad te hunc ipsum, qui tibi litteras reddidit, miserunt, ut huc ad iuuentutem publico munere docendam te conducant. quidquid is tibi fuerit pollicitus, quidquid egerit hac de re tecum; id ratum habeto, non secus, ac si omnes ciues promiserint, omnes se nexu obligauerint. ad hæc, ego summo amore in te meo adductus, uolui has litteras accedere, tamquam sponsores & prædes; primum, ne dubites

B 2 quid-

quidquam de mercede tibi ad certam diem persoluenda; deinde, ut intelligas, te, si quam tibi Casalenses conditionem ferunt, non respueris; nō solum ipsos publico nomine, sed multos alios priuato tibi obligaturū. Conditio ipsa tuis fortasse meritis impar est; at paucis, quæ hodie constituantur, certe inferior. præter mercedem certam laborum, eamq. publicam, quosdam habebis nobiles uiros, qui tibi priuatim gratiam referent. Quid tam multa? Nemo tibi consilium te ipso melius dabit. quod ad me attinet, tuus mihi aduentus suauissimus erit & gratissimus; & quia iuuentus sub te, quem his ciuibus probavi, maiores progressus in dies faciet; & quia ipse tuam humanitatem & morum suauitatem ex interuallo regustabo. Vale. Casali.

Micaelo Genesio. (Vercellas)  
Epist. XIII.

**O**FFICII & humanitatis plenas litteras a te accepi: quibus effectum est, ut, quod tantopere cupis, nostrates illi, quos tu magnanimos uiros appellas, te, per me, quæ eorum est in me beneuolentia, commendatum habeant. ego uero cum hoc libenter & studiose curauim; tum dabo operam, ut in conseruanda nostra necessitudine,

ne, quidquam a me ne desideres. te uidere & cōplecti cupio; ac, si per occupationes licet, ad me ut uenias, rogo. nam ad desiderium, quo tui uidendi tenor, illud accedit, quod in scriptis tuis, quæ ad me misisti, quædā insunt, de quibus per litteras minime possumus agere, enodanda. nā ut illa idcirco à te quesita sint, ut cogitationis cursus, in orationis facilitate fluentis, apte illis tamquam salebris retineatur; cauendum est tamen, ne mens legentium illis percipiendis sic laboret, ut cetera quoque abijcere cogatur. Vale.

P. Ioanni Burgundio. (Mediolanum.)  
Epist. XIV.

**Q**UATERNAS litteras ad Venuſtum dedi, in quibus illum rogabam, ut salutem tibi meo nomine diceret. suspicor non dixisse; quemadmodum nullam ad me litteram scripsit. ignosce, mi Burgundi, mihi, qui illius animum ex meo spectans frustra sum. Peccaui, quod per illum fieri id uoluerim, cum ipse debuerim facere. Sed uix credo me ab illo contemni, quem semper dilexerim. Vereor potius, ut amor est sollicitus, ne quid illi humanitus acciderit. hæc sollicitudo ad diuturnum morbum mihi accedit. Si saluus ille est, amaho te, hoc ad me scribe quam

B 3 primum:

primum: sin minus (quod Deus auertat) saluus est. me miserum, qui amicum talem. Eripe mihi hunc dolorem, & uel mortuum, dic tamen uiuere. Sed obsecro te, Burgundi, da hoc amori nostro, ut, quod Venustus uel negligit, uel facere non potest, de uobis ad me aliquid scribas. Etsi enim fortuna mecum agit nimis acerbe, quæ me de ualitudine infirma sollicitum, alijs etiã malis permultis constrictum tenet; nihil ut mihi, quam de his, dies & noctes sit cogitandum: de uobis tamen quia nihil audio, ad pristina mea incommoda accessio magna adfertur: &, ut hic alioqui libenter maneam, ubi leuius, quam alibi, incommodorum grauitatem sustineo; nihilo minus, cum fructus illos uestri congressus dulcissimos cogito, relegatus mihi ab hominib. uideor, quia illis careo. Quapropter uestre partes sunt, ut de uestris sermonibus aliquid etiam mihi per litteras impertiatis: quas loco uestri amplectar atq. osculer; & in eis, quasi uestri imaginibus, aliquid mihi dem oblectamenti. Vale.

Frãncisco & Cæsari Cicereijs. (Mediolanũ)  
Epist. XV.

**Q**UAMQUAM non dubito, quin & uos litteras Italicè scriptas libèter lecturi sitis;

&

& ego, qua utimur lingua, aptius animi sensa mei possim explicare: quando tamen Latinis litteris uos delectamini, & mihi hoc genus in primis placet, malui Latine ad uos scribere: neque ob id, quod hoc, quam illo modo potius, litteris scriptis a me, uos posse delectari confidam; (non enim, quam rudis sim) sed quod meæ in uos uoluntatis indicium aliquo modo dandum existimẽ. quod tamen serius, quam uolebam, facio, quia in morbum grauem & periculosum, quo æstate superiore tentatus iam leuari uidebar, deintegro incidi, ac satis uehementer diuq. egrotavi; eoq. quam antea grauius, quod ad ueterem morbum nouæ uariæq. tentationes accedebant, & medici nullas curationes adhibere nisi periculosas & ancipites poterant. ad laterum enim doleres λιθίασις, ac propter pituitæ abundantiam in corpore κεφαλαλγία addebatur. mors mihi uita erat potior. nunc tandem Dei opt. max. ope e lectulo surgo, expulsis e renibus & uesica calculis. nondum de cubiculo exeo, neque exhibo, quoad exacta dies erit, quam mihi ad aquæ ferreæ potum medici constituerunt. Sum adhuc Καυχούμενος καὶ κακίστος. In his tantis malis non solum nunquam uestri sum oblitus; sed uestre etiam beneuolentiæ erga me recordatione ac memoria subleuatus. quid si uestras aliquando

B 4

litteras

litteras accepissem? Quod cum ita sit, quamuis  
& pudor meus & uestræ occupationes, ne quid-  
quam litterarum a uobis flagitem, me uidentur  
admonere; uestri tamen desiderium, & amor  
meus impudenter cogunt rogare. Valete.

Antonio Mariæ Valleio Rolandi Filio.  
Epist. XVI.

**M**AGNAM habeo gratiam Laurentio San-  
nazario, cuius opera factū est, ut tu mecū  
mense superiori proximo sermonem haberes, qui  
præclaris ingenij luminibus distinctus, indexq.  
summæ humanitatis tuæ omneis animi mei par-  
teis uoluptate perfunderet. te antehac ob nobili-  
tatem, cuius fautor sum, me hercule etiam pro-  
pter istam dignitatem & honorem, quo te Pont.  
Max. decorauit, colebam; sed quod talia orna-  
menta tibi cum multis alijs communia essent, se-  
quebar in eo morem usitatum, nō iudicium meū.  
nunc autem, cum te trahi ad uerum decus  
ab ipsa uirtute intelligam, nec mores tui ad ina-  
nia, neglecta gloria incumbant; incredibili læ-  
titia affectus, non, ut ante, ob communem morē,  
sed ob iudicium, quod de te feci, non solum te  
colo, sed amo amore singulari. cum enim mul-  
ta hoc tempore adolescentibus aduersentur, ne  
uirtutis

uirtutis cursum teneant, qui ad ueram laudem  
perducit; te iuuenem multis & naturæ & for-  
tunæ bonis affluentem, Senatoris filium, loco na-  
tum illustri, una tamen niti uirtute, unum spe-  
ctare, ut quantum honestatis a maioribus accipi-  
sti, tantum ipse tuis posteris relinquant: non ego  
later? non te colam? non amem uirtutes tuas?  
Quare, cum in congressu illo nostro a te rogatus,  
de Academia & Academicis sermonem insti-  
tuissem; nec eum interpellatus persequi potuis-  
sem: nunc operæ pretium uidetur, quod reliquū  
erat, de eo per litteras, cum coram nō liceat, te-  
cum agere. querebas, quid esset Academia;  
tum qui Academici ueteres, qui noui essent. Re-  
spondi, Academiam fuisse suburbanum ab Athe-  
narum urbe non procul inter arbusa positum,  
quod ueteres Atticæ coloni Hecademiam, poste-  
riores mutata cum adspiratione littera ab Aca-  
demo, (ut Plutarchus in Thesei uita narrat) qui  
Helenam Aphidnis occultatam Tyndaridis quæ-  
rentibus reddidit, Academiam nuncuparunt:  
quam postea Plato ad liberales artes docendas  
delegit, ut in illo secessu nulla studium interpella-  
tio interrumperet. qua causa, qui eo in loco phi-  
losophi docuerunt, Academici dicti sunt. Hæc  
tum hætenus. reliquum erat, ut qui noui, qui ue-  
teres appellati fuerint, diceremus. Cicero in  
Quæst.

Quæst. Academicis multa de utrisque disputat, ex cuius disputatione collegi, Academicos ueteres fuisse, qui quærentes de omnibus, & in utraque partem disputantes, tametsi nihil uiderentur certi dicere; multa tamen de legibus, multa in artibus præcepta, & in orationibus exempla bene dicendi relinquentes, perfectissimam disciplinam dederunt, cum Peripateticis ueteribus concordantes rebus, discordantes nominibus: Nouos autem, qui nihil omnino percipi posse cū dicerēt, in suo ipsi decreto, sicut in ceteris rebus, fluctuarunt, de Dijs præsertim errantem & uagam habentes sententiam. quorum Princeps fuit Arcefilas, quemadmodum ueterū illorum Plato. Hæc ad quæsitā: quæ ad te libenter ego quidem scripsi, non quia te ea ignorare, sed quia ad alias aliorum sententias meam de eis accedere te uelle existimem. Vale.

\* . . . Cuidam adolescenti.

Epist. XVII.

**E**GO uero tuam agnosco manum, ac litteras tuas libentissime lego: quibus respondeo breuiter, cum meas ad stomachum tuum non facientes perininitus legas. quid? putasne ex eorum me esse numero, qui in ore aliud, aliud in pectore gestant?

stant? me accusas, quod liberius de tuis epistolis, quid sentirem, dixi tibi. at hoc postulat amicitia; neque animi ingenui est, assentari uelle; nec mea natura patitur. Rogatus a te, si quid in scribendo offenderes, te uti admonerem; id cum libenter, tum liberius feci. in quo tamen faciendo, laudauit ingenium tuum, & culpam a te in magistrum transtuli: quem scribis tuas epistolas, antequam obsignentur, legere. De hoc tu ita expositulas mecum, ut nihil possit iracundius fieri. Sed te tuumque magistrum non bene meam epistolam interpretari; & in quo me accusatis, nullam ei us in me culpam residere, facile demonstrabo. Primum, si licet omnibus, quod est malum, detestari, mihi, qui eum, qui te male doceat, malum magistrum detestari est licet; eum autem detestor: quid igitur mali facio aut committo? deinde, quem, ut dicis, bonum magistrum habes, me non detestari, contra quam uos calumniimini; ex eo liquet, quod ei, quicumque te male docet, non qui bene, male præcatus sum. qui ergo te docet, si bene docet, cur me eum detestari existimas? cur me potius illum, qui male te doceat, odisse, quam bonum magistrum non censes? nam si bonum habes, hunc non detestor; si malum, etiam atque etiam detestor & execror. Proinde, quid hoc meum factum habet iniquitatis, si quod omnibus licet, id ego feci?



ci? Atqui ex tuis querellis hoc colligo, te quidem maxime laudari uelle; admonitiones uero moleste ferre. ignosce mihi, qui animum tuum ex meo spectavi. quando enim ita sum institutus, ut ab amicis, si quid pecco, magnopere uelim moneri, maximaq. admonentibus agam gratias; ea re tibi gratum me facere sum arbitratus, cum quid de tua scriptione sentirem, liberius te admonui. quod si tibi actum a me acrius uidetur; in causa est, non tam meum hoc iudicium, quo sum natura grauior, quam φιλαυτία, quæ plus æquo palpans, tibi imponit. Sed fac tibi in mentem ueniat, si modo bonis in artibus uoles proficere, æquo animo ferre admonitiones; & existimare, nihil magis impedire studia, quam uanam sapientiæ persuasionem. quam rem ubi institueris facere, meum cum tuo comparans factum, etiam intelliges, tibi fuisse, cur mihi de eo ageres gratias, non in male dicti uel criminis loco id ipsum obijceres. Vale.

Bernardino Guanæ. (Mediolanum)  
Epist. XVIII.

MARCVS Burmiensis me tuis uerbis salutauit. quod quidem mihi fuit gratissimum, multo futurum gratius, si cum salute aliquid litterarum misisses. Illi istuc redeunti has uolui dare, ne in quo tuum a me officium requiritur, in eo

accu-

accuses meum: quamquam non habeo quid scribam, præter illud unum, quod decedens me tibi scripturum sum pollicitus. Ego, mi Guanæ, diuos mihi omnes iratos esse post meum a te digressum intelligo. cum enim in alterius locum susceptus essem, qui bonos scriptores publice interpretarer; essentq. Kalendæ Nouemb. mihi constitutæ mei fungendi muneris principium: ad tempus ipsum quominus ex Patria uenirem, fuisse impedimento cum multa alia, tum Tiranenses, qui me inuitum apud se retinere conati sunt. quo factum est, ut ab inuidis meis sparsi rumores Academiae procuratoribus spem reditus mei præciderent, & illorum studia a me in priorem illum traducerent. Itaque illo confirmato, necesse habui aliam inire rationem. aperui quibusdam ingenuis adolescentibus ludum: cum quibus ero, dum anni tempus ita, ut faciam, suadet. hæc de me. Te autem bene ualere, quod a Marco audiui, magnam uoluptatem capio; maiorem percepturus, si, ut scripsi initio, ex tuis litteris id cognouissem: quas certe mihi abs te deberi pro communibus studijs, debes putare. Vale.

Ludouico Taberio. (Brixiam.)  
Epist. XIX.

MITHRIDATES Ponti rex, ut memoria proditum est, L. Lucillum, qui contra ipsum

sum

sum exercitum duxerat, magnaq. damna & mala illius regno dederat, summis laudibus in calis tulit. Tanta uis est uirtutis, ut etiam hostes, qui ea eximia præditi sunt, nos cogat laudare. Non possum exprimere uerbis, Taberi, quanto te amo re amem, ob egregias tuas uirtutes; laudare uero cum debeam, satis non possum ob mei ingenij tarditatem. Quocirca, cum Accius Besta mihi dixerit, te prope diem ad se uenturum, ut iucunde & hilariter secum æstiuos dies traducas; incedo latitjs omnibus. cum enim tecum semper esse uelim, sermonesq. conferre; ex aduentu tuo in locum propinquum dari nobis facultatem sæpe inter nos per litteras colloquendi, non summo opere gaudeam? in quibus etsi non ego quidem tuam poterò audire uocem, neque tu meam; nihilo tamen minorem, uel paullo minorem, quam si una essemus, ex rebus, quæ æque scriptis ac uoci subesse solent, uoluptatem capiemus. Vtinam & ad uos nonnumquam possim aduolare, & uestro conspectu & humanitatis suauitate frui. Vale.

Francisco Croto. (Mantuam.)

Epist. XX.

**Q**UANDO tuis doctissimis litteris serius respondendo, id negligentia aut obliuione a me fieri

fieri ne putes. hæc enim uitia tam odi, quam tu uirtutem & litteras amas. Dux causæ sunt; cum litteræ tardissime perferuntur, quia certis hominibus non dantur; tum morbus diuturnus me tardio rem fecit: qui ita incubuit, ut eo me leuari numquam sperem. adde etiam, nostræ litteræ sunt eius generis, ut, quo reddantur tempore, non multum referat. Vt cumque tamen res se habet, si hanc excusationem non accipis; rogo te, mihi uti ignoscas; & quam ueniam iure a te fortassis impetrare non possum, eam pro tua prolixa beneficaq. natura meo in te amori uelis dare. Vale.

Io. Baptistæ Valleio. (Papiam.)

Epist. XXI.

**C**ARMINE tuo delector, quod & te mihi carissimum, initiatum sacris musarum fuisse declarat; & tui erga me amoris, & in parentem olim meum obseruantia significationem habet nõ paruum. quorum de utroque ualde te amo. quod autem uis, ut, quid sentiam de eo, ingenue dicam: elegans est & graue; sed nonnulla insunt, quibus intelligendis laboro. ea tu, siue ut, tamquam salebra quædam animum in cursu orationis remorentur; siue ut ornatum, tamquam pulcro corpori nauus, afferant, inseruisti: obsecro te, ne in carminibus

nibus pangendis eam affectes obscuritatem, quã nusquam attulerunt ij, quos doctiores magistri ad imitandum nobis proponunt. Vale.

Ansideo Foliano Vincetij filio. (Burmium)  
Epist. XXII.

**I**ASON Folianus mihi a te reddidit epistolam cum epigrammate: in quibus mihi satisfactis, quoniam vis satisfacere. nam in quo potes, satisfacere; & in quo non potes, uelle: utrumque satis est, ac probatur a me. ut uerba in pauca conferam, nolim utare ullis locutionibus, quibus præcipui lingvæ Latinæ auctores usi nõ sunt. quidquid enim extra est, id minime est Latinum. Hi sunt, quos securus imiteris, Plautus, Terentius, Cicero, Cæsar in prosa quidem oratione: (nam duo illi superiores quamuis Poetæ sint, eorum tamen oratio quam maxime ad solutam orationem accommodatur) Ex ijs, qui carmen condidere Virgilius, Horatius, Catullus, Tibullus. ceteros in suo genere egregios tibi hac ætate non attingendos censeo. Sed locutiones intelligo dicendi formas, siue elocutiones & structuram Latini sermonis. in quibus caue, ne, quod passim legis, securus reponas. quod enim perrarum est & infrequens, tu quoque rarissime, uel potius nunquam

quam usurpare debes, uel eo tantum modo, quo fuerit ab alijs usurpatum: qui banc scribendi rationem, illorum, quos in lingua Latina principes esse diximus, imitatione sequuntur. ita si feceris, ut nisi approbatas & usu receptas locutiones tua in oratione colloces, iam reprehensione carebis; mox etiam habebis laudem. Itaque & epistolæ & carmini tuo aliquot asteriscos immiscui, ut, cum ex eis, quæ minus probem (nam ad te ea remitto) intellexeris; cetera mihi placuisse, etiam possis latari. Vale.

Eidem. (Burmium.)

Epist. XXIII.

**Q**UOD bellam epistolam ad me dedisti, mihi gaudeo, tibi gratulor; eo in primis, quod meam te accepisse & egregie caram habuisse significas. nam quod ipsam recte scribendi rationem, ad quã a me uocaris, paullo ante tibi ignotam, nunc uideri excellentem affirmas: magnopere te hortor, ut omni studio incumbas in eam. si enim nihil magis præclarum est, quam oratione, qua a belluis maxime differimus, ceteris præstare hominibus: qua in laude ponemus, scriptis etiam de posteritate benemereri? bene autem merentur, qui rectam illam scribendi rationem

ineuntes, præstantium uirorum dicta & facta  
litteris & monumentis mandant. Vale.

Eidem. (Burmium.)

Epist. XXIV.

**D**ELECTOR uehementer lectione tuarum li-  
terarum: quibus inest tui in me amoris præ-  
clarum testimonium. iucundum est enim & gra-  
tum amari; sed ab eo, qui in uirtutis studijs tan-  
tos progressus faciat, iucundissimum & gratissi-  
mum. Perge igitur, ut facis, me amare; & ut,  
nos quoque nostrum in te amorem non solum ser-  
uemus, a tua pueritia susceptum; sed etiam au-  
geamus, effice. Efficies uero, si ad uirtutis co-  
gnoscendæ studium, ad quod tua sponte es incita-  
tus, nostra cohortatione, aliquam accessionem  
attuleris. Cetera mihi crede leuia sunt, & inter-  
dum nobis molesta; una uirtutis laus semper iu-  
cunda in memoria hominum suum nomē retinet.  
quod tibi sæpe uenire in mentem non dubito: cū  
ætate ista tantum proficias. sed tamen cum incre-  
dibilis amor, in te meus, tū sollicita quædam tuæ  
ætatis cura me cogit hoc minime necessarium,  
tamquam maxime necessarium, ad te scribere.  
Vale, & Vincentio patri tuo salutem a me pluri-  
mam.

Eidem.

Eidem. (Burmium.)

Epist. XXV.

**D**E epistola te plurimum amo; facioq. pluris,  
quam sexcentos alios adolescentes: quia ad  
scribendum me uocas, dasq. argumentum mihi  
litterarum. ac ita negotijs interdum, semperq. cu-  
ris impediatur, ut libere uix respirare queam. quo  
circa ne putes, te a me existimari indignum, ad  
quem scribam: cum ad omnes, a quibus prouo-  
cor, humanissime & libentissime; tum ad meos  
multo humanius libentiusq. rescribā. nunc quo-  
que amore ipso in te meo coactus id facio; non  
quod ullæ rerum mearum rationes, aut hæc tem-  
pora concedant. De libris quod agis gratias,  
gratum mihi est, tametsi opus non fuit: quando  
iam quidem in eo mihi retulistis gratiam, nedum  
egisti; quod nostra opera te profecisse ostendis.  
Vale.

Oliuero Foliano. (Burmium.)

Epist. XXVI.

**E**X quo a uobis discessi, nihil de te neque a te  
ipso, neque ab alijs audiui. istic cum eram,  
parentis tui, quæ consilia, & cogitationes essent,

C 2 non

non ignoravi . ex quibus hanc nunc coniecturam facio, te fratri patrueli meo uiro doctissimo in disciplina fuisse traditum . quod si factum est, horum alterutrum consequatur necesse est; uel ut doctori quam simillimus euadas tuo; uel opinionem, quam de te optimam concepimus, omnino fallas . unum porro te haud dubie paruisse magistro, optimumq. esse, uti quidem speramus & optamus, arguet, nosq. tuos omneis uoluptate afficiet summa; alterum tibi dedecori, nobis dolori erit maximo, & odium in te nostrum concitabit. sed confido te, quam expectationem tui commouisti, eam posse sustinere, ac uelle tueri . Quare facito, ut quam sepiissime de te, quæ uolo, ex tuis litteris intelligam . id mihi tam gratum erit, quàm quod gratissimum . Vale.

Nicolao Salueto . (Burmium.)  
Epist. XXVII.

**R**EDITA mihi fuit epistola tua, quæ me ualde commouit . Si me nosti, si quanti te faciam, ex meis litteris intellexisti: qui tibi uenire in mentem potuit, in malam partem metum factum accipere? nunc, quia te ad scribendum uocaui? hoc enim tibi est integrum facere uel non facere . Scito me absentem a uobis nihil tam cupere,

pere, quam uestras doctorum hominum, qui istie estis, litteras Latine scriptas: quibus legendis uestri desiderium leniam, & in eis, tamquam in uestri ingenij imaginibus, huius absentiae oblectamentum aliquod ac solatium habeam . Noli amabo te, secus interpretari meas litteras, quàm oportet; sed da hoc meo uel nostro potius amori, ut ne tuo colloquio caream; hoc est, tuis litteris . Vale .

D. Reginaldo Foliano. (Mediolanum.)  
Epist. XXVIII.

**Q**UOD istuc te recepisti, & doleo, quia consuetudinis tuæ fructu cariturus sum; & labor, quod eò ueneris, ubi beatam uitam uiuere tibi liceat . nulla enim re ad diuos propius accedimus, quam eam uitam degendo, quæ suppelletili sapientiæ, & temperatis moderatisq. moribus ornatur . quam te iam degustasse, non dubito, istos uirtutis magistros triennium & amplius audientem . Iampridem sum in tui uidendi desiderio; eoq. me leuare constitueram; sed graui morbo têtatus non potui . nunc autem, cum in animo mihi sit ad te adire; demum proficisci cogor, ad res in melius commutandum meas . ubi rediero, (redeundum enim mihi est ad pristina studia) nisi te

S. FOLIANI

in aliud cœnobium migrasse cognouero, istac faci-  
ciam iter, ut te uideam. sed tibi nunc gratulor,  
quod eo in loco sis, ubi profana omnia liceat con-  
temnere, & caelestium rerum contemplatione na-  
cet Dei certissimi capere cognitionem. Vale.  
Patauij.

Georgio Sultano. (Ticinum.)  
Epist. XXIX.

**M**E querentem iamdiu ubi esses, & quid re-  
rum ageres, qui tibi has litteras reddidit,  
fecit certiore, te istic esse, & ad philosophiæ  
ceterarumq. bonarum artium studia incumbere.  
quæ res magna me lætitia extulit, sollicitum, quod  
a tuo a nobis digressu, neque ubi domicilium ha-  
beres, neque ut ualeres, audiremus. Quod cum  
ita sit, da operam, ut, quia ibi consediſti, quo  
nostræ litteræ perferri commodissime possunt; ita  
eas accipias, ut non graueris respondere; me-  
minerisq. illis eam beneuolentiæ fidem præstare,  
quam præsens mihi solitus es. Vale.

Eidem. Epist. XXX.

**Q**UÆRIS, quid Ennianum illud sibi uelit,  
quod est apud A. Gellium, Incerte errat  
animus,

EPIST. LIB. I. 20

animus, præter propter uitam uiuitur. a Gram-  
matico alioqui, uel potius ab ipso Gellio inenar-  
ratum relictum. nam te scire quidem Præterpro-  
pter significare, Præter quam propter; sed quæ  
sit eius uersus sententia, dicis non assequi. Ego  
quid de hoc sentiam, quam potero breuissime ex-  
plicabo: ubi Ennij uersus omnes, ex quibus hoc,  
quod quæris, elici potest, fuero interpretatus.

Otio qui nescit uti, plus uegotij habet,  
Quam cum est negotium in negotio.

Nam cui quod agat, institutum est, nullo negotio  
Id agit; studet ibi, mentē atq. animū delectat suū:  
Otioso initio animus nescit, quid uelit. (mus,

Hoc idē est, neq. domi nūc nos, neq. militia su-  
Imus huc, hīc illuc; cū illuc uētū est, ire illic lubet.  
Incerte errat aīus, Præterpropter uitā uiuitur.

His ostendit Ennius cum eum ex omnibus par-  
tibus commode agere, qui otio scit uti; contra in-  
commode, qui nescit. Scit quidem uti otio, qui  
in otio exercens animum certis cogitationibus, se  
ad futura negotia comparat: nescit uero, qui im-  
paratus negotia obit. (notum enim illud est Mysō-  
nis uentilabrum hyeme parantis. Cato quoque  
scripsit P. Scipionem solitum dicere, Numquam  
se minus otiosum, quam cum otiosus; nec minus  
solum, quam cum solus. de quo M. Tullius, Ma-  
gnifica uero, inquit, uox & magno uiro & sapiēte  
C 4 digna,

digna, quæ declarat illum, & in otio de negotijs cogitare, & in solitudine secum loqui solitum; ut neque cessaret umquam, & interdum colloquio alterius non egeret) tum animum eorum errare, in quos ea dicebat, & incertum esse: quippe qui ante quam factum opus esset, non cogitarent de eo, desiderantes; & modo militia modo domi essent, hunc ex illo locum sæpe mutantem propter inconstantiam: neque uiuerent uitam, quam propter homines in hanc lucem editi sunt, hoc est, frugis & honestam. Præter propter (enim) uitam uiuitur, non, ut quidem faciunt, hoc in loco interpretamur, propter aliam causam, ut pote, honorem laudem & gloriam; sed tali quidem sententia, quali (ut Fronto apud ipsum Gellium ait) seuerissimæ obiurgationes philosophorum solent: ut non dubitem affirmare Præterpropter significare, Præter, hoc est, contra; ut Præterpropter uitam uiuitur, sit Præter uitam, uel contra quam uiuere oportet; & sit figura παράλλου. id quod ipsius A. Gellij auctoritate fretus facio: cuius uerba sunt. Cumq. architectus dixisset necessaria uideri esse H. S. ferme CCC. unus ex amicis Frontonis, Et præterpropter, inquit, alia quinquaginta. quid enim hic Præterpropter significet Præterquam propter? an non Præter? ut necessaria alia quinquaginta sestertia præter trecenta illa illum significasse

ficasse intelligamus? Præter autem etiam contra significare, nemo ignorat. Itaque hæc sic interpretor; quoad aliter se habere, bonorum in lingua latina auctorum testimonio confirmant, qui aliter sentiunt; interim contentus Gellij grauis auctoris exemplo. Vale.

Fompilio Foliano. (Genuam.)

Epist. XXXI.

Cum post tuum Burmio discessum, quo peruenisses, ubi esses, an uiueres, mi Pompili, ignorarem; ac magno in marore iaceremus tui omnes, propterea etiam magis, quod qui tecum profecti erant ad suos scriberent, nullam tui mentionem facientes; neque tu ullas dares litteras ad nos: accepi tandem a patre tuo epistolam, quæ te istuc uenisse saluum ex Hispania, breuiq. domum uenturum esse nuntiauit. quæ res mihi per iucunda cum acciderit; nihil tamen eo fuit iucundius, quod te in nostris studijs tantos progressus fecisse intellexi, ut tibi laudi, nobis uoluptati, ceteris etiam usui illa futura sit persuasum. quod tibi gratulor, hortorq. te, ut, cum domi tantum quieueris, quantum tibi de uia fesso, & ad salutationes amicorum erit satis; ad me uenias; ne, cui arti studium tuum instituisti dare, ab ea te auferant eorum consilia, qui corruptelarum illecebris

## S. FOLIANI

cebris irretiti suo exemplo bonorum adolescentium mores corrumpere & deprauare consueverunt : quorum illic magnum esse numerum non te fugit . Vale . Venetijs .

\* . . Pro amico ad quendam eruditum .  
Epist. XXXII.

**I**SABELLAE Blandratæ litteris mihi significatum est , te hominem probum & Græcis Latinisq. litteris eruditum esse ad illius liberos docendos conductum . quæ res me gaudio affecit . cum enim multum essem occupatus in quærendo eis magistro , minimeq. eum ex mei animi sententia , qualemq. tam bonæ indolis pueros habere decet , invenirem : tanta vexabar sollicitudine , quanta illorum Pater ea de re potuisset , ipse si uiueret . Quapropter , quando te talem , cuiusmodi cupiebamus , illi nacti sunt ; non ego eò maiore persundar uoluptate , quo plus molestiæ contraheram , quia tantum operæ & studij in eo quærendo nequidquam ponerem ? cuius meæ uoluptatis tibi a me aliquam significationem per has litteras dandam putauit ; quo intelligeres , primum , ob eam necessitudinem , quam cum ipsa Isabella matre habeo , me cum esse , ad quem maxime omnium , secundum matrem , interfit , ab eis uitæ ac studiorum rationem poscere ;

## EPIST. LIB. I.

22

re ; deinde , si operam diligentissime illis instituentis præstiteris , non solum ipsos pueros matremq. uerum nos etiam omnes , qui illis bene cupimus , tibi obstrictos & obligatos fore ; ac te fructum in dies maiorem ex tua diligentia esse percepturum . Vale .

P. Ioanni Baptistæ Foliano . (Burmium.)  
Epist. XXXIII.

**N**ONDUM constitui , plusne uoluptatis , an molestiæ tuis ex litteris traxerim : uoluptatis certe plurimum , quod & incredibilem tuam in me beneuolentiam declarant , & belle sunt , & pereruditæ ; licet hoc tempore , ut scribis nullum librum euoluas : molestiæ etiam plurimum , quia te in id discrimen incidisse ostendunt , ex quo te eximere saluo officio ; in eo autem uersari sine magno tuo tuorumq. damno & malo , non possis . sed tanto huic malo medicina adhibenda est aliqua . nam si mala quæ sunt , contra naturam fiunt ; leges autem naturæ ceteris antestant : cur tu saluo etiam officio , leges naturæ ut conseruentur , de tuo iure paullulum decedere nequeas ? annon duobus in malis , cum alterutrum cauere non possumus ; minus eligendum , maius fugiendum est ? Hæc ad te non equidem , quod te meis consilijs



lijs egere arbitrer, sed quod officij mei ratio, ut  
ita faciam, postulet, Vale.

Eidem. (Burmium)

Epist. XXXIV.

**Q**UID est, cur me negligentia accuses? ne-  
minem, qui istuc ueniret, praetermisi, cui  
litteras non dederim; unas quidem ad fratrem  
meum, alteras uero ad te. a te autem raras &  
eas perbreueis accipio. noli igitur me, in quo cul-  
pa uaco, accusare; sed te equum mihi praebere: nisi  
uis eodem te ego crimine condemnem, qui Hora-  
tio uenienti ne litteram quidem; cum triduo ante  
admonitus potueris dare. at alijs dedi, (inquis)  
ad quas cum non responderis, ne Horatio quidem  
ipsi ullam existimaui dandam. Num (quaeso) si  
litterae statim non redduntur, in me culpam tras-  
ferre debes? ego quidem, cum nullas a te acci-  
pio, in eos, quibus des, non in te, crimen trans-  
fero: atque malo scribere uel inanes, eodemq.  
exemplo sapius, quam ullam taciturnitate suspi-  
cionem tibi asferre. sed haec iocor. Expostulatio  
tua ab amore profecta nescio quo modo facit, ut  
ad eum, quem erga te habeo, amorem (quod fie-  
ri posse putabam) maximus cumulus accedat.  
nam & requirere, & interdum accusare eorum  
officium

officium solemus, quos ualde diligimus, carosq.  
habemus. Quod si litteras dare, quales a me ex-  
pectas, uel ea praestare, quae de me augur ris,  
possem, & in magnitudine amoris in te mei decla-  
randa, & scribendi officio tibi cumulate satis-  
facerem. Vale.

Eidem. (Burmium)

Epist. XXXV.

**I**TA esse comperio mi Foliane, quemadmodum  
uulgo dicitur; temporis puncto accidere, quod  
uix toto anno eueniat. ubi ad tuam, quam pro-  
xime dedisti, epistolam respondi, nullum a me te-  
pus praetermissum est, in quo de amico illo non  
egerim; nosti, quem dicam. Verum nihil ex sen-  
tentia succedebat, ut plane desperaremus: cum  
ecce mihi quidam renuntiat, se esse nactum, qui  
uelit: (cetera tenes) sed celeritate esse opus. qua-  
re extemplo ea de illo pollicitus, quae praestanda  
erunt; haec exaravi: quae si mature erunt perla-  
ta, poteritis, quid uestra intersit, constituere,  
meq. de eo quam primum facere certiore. Vale.

Eidem. (Burmium) Epist. XXXVI.

**C**ONSTITVERAM hercule nullas posthac da-  
re ad te litteras, nisi prius totidem accepis-  
sem

sem abs te scriptas, quot a me tibi redditæ fuerūt. sed ueritus, ne inhumanus uideret, si ad eas, quæ hodie perlatæ sunt, non responderē; fregi consilium meum, & tuam excusationem accepi: ne, si te accusare pergam, a me desciscam ipse, qui non probi officium iudico, notam alicui ad ignominiam inurere. accepi igitur & litteras & excusationem, quam in eis adfers; &, qui mihi illas attulit, ἀνάξιος ἰδοῦν ἄνθρωπον attulit, quoniam suo sermone mirifice tuarum litterarum suauitatem est subsecutus. at quod scire uis, quid de meis studijs statutum habeam; id ego hoc tempore neque tibi, neque alij cuiquam possum dicere. Tantum habeto de me, quod de ijs dicitur, qui mare conscenderunt: Quocumque per undas Notus uocabit, aut proteruus Africanus. Vale.

Vincentio Foli ano fratri patrueli.  
(Burmium.) Epist. XXXVII.

**Q**UOD me in calum laudibus effers, Foliane, animi in me tui inductionem atque uoluntatem agnosco. Amorem fingunt Poetæ carere oculis, propterea quod falli de amico amicus, ut de inimico inimicus solet: hic nimirum odio; ille amore deceptus nimio a ueritatis forma abest quam longissime. me talem tibi uideri, uel certe describi

describi, non quidem qualis sum, sed qualem me esse tu uelis & habeo persuasum, et facile patior. in quo tamen te rogo, ut, si non potero semper præstare me istis laudibus dignū, laudare tamen perseueres; ne, si quis tuo iudicio adductus iam multa mihi tribuat; tantum postea de mea laude detractum uelit, quantum de tua pristina commendatione abs te diminutum fuisse uiderit. Quod autem uereris, ne existimem, quæ de rei magnitudine ac difficultate scripsisti, te magis ad deterrendum & auocandum me ab eo studio, cui iam pridem deditus sum litterarum & humanitatis, quam ad cohortandum ad illud & incitandum scripsisse; hoc tibi uelim persuadeas, me nihil minus, quam ita suspicari; quin etiam hanc opinionem habere in animo inhaerentem ac penitus insitam, Homini palmarium esse, qui ceteris usui ad uirtutem esse cupiat, uel eo ipse, quo multi alij, peruenire contendat; has omnes, quæ a te timentur, difficultates exorbere; ut si primas non potest, secundas uel tertias etiam ferat. quare cum ferriari alios uidebo, tum maxime in his studijs uerabor. Vale.

\* . . ut amicorū uoluntatē obsequerer.  
Epist. XXXVIII.

**C**UM ad me delatum fuisset nonnullos ex academicis istis numquam adduci potuisse, ut elegiam,

elegiam, quam Ioannes Canis Patritius Casalen-  
sis, uir doctus, a me scriptam in funere Iuniperæ  
Vallarij, in Academiam attulit, meo nomine in-  
scriptam legerent: id me hercule existimaui fa-  
ctum, quia illis nondum essem cognitus. sed po-  
stea aliam eius rei causam cognoui fuisse; nempe  
Ludi magistris istic a qua & igni pæne interdictū,  
& nomen Grammaticorum ex uestro cœtu isto ex-  
plodi, tamquam omni seruitiorum genere illi sint  
uiliores, & peste quauis detestabiliores. quæ res  
sane etsi nihil me commouit, quoniam consilio mi-  
nus prudenti a parum doctis hominibus facta ui-  
deretur; mihi tamen in mentem uenit mirari, cur  
litterarum doctores & magistri ab istis spernan-  
tur, non solum in honore habiti a maioribus no-  
stris, sed a philosophis a Poetis, & ab oratori-  
bus celebrati. Quid enim illud est? Qui præce-  
ptorem sancti uoluerit parentis Esse loco. an non  
Aristoteles tertio loco inter eos, quibus par gra-  
tia referri nunquam potest, magistros ponit? nun-  
quid eorum ars & professio non digna & grauis;  
non liberalis & ingenua est? legant Ciceronem  
in De Oratore primo lib. dicentem, Grammaticū  
pæne infinitam uim ac materiam scientia & co-  
gnitione comprehendere. Quintilianus quoque,  
Quominus, inquit, sunt ferendi, qui hanc artē,  
ut tenuem ac ieiunam cauillantur: quæ nisi Ora-

tori

tori futuro fundamenta fideliter iecerit, quidquid  
superstruxeris, corruet; necessaria pueris iucun-  
da senibus, dulcis secretorum comes; & quæ  
uel sola omni studiorū genere plus habet operis,  
quam ostentationis. Nos scilicet ludi magistros  
spernamus, propterea quod hanc artem tam uti-  
lem tamq. operam ꝑ exercent, traduntq. no-  
stris liberis studio & labore maximo. hoc etiam  
pro mercede illis rependamus, ut clamore & cō-  
uitio miseros iactemus. Si Aristarchus, Dydi-  
mus, Asconius, Donatus, Seruius, Probus, & a-  
lij præstantes grammatici reuiuiscant, indigni  
(credo) erunt, qui ab Academicis istis nominen-  
tur, quia ludi magistri fuere. Possem tibi nunc  
plurimos ludimagistros recensere, qui excellue-  
runt in philosophia, in patrocinijs tuendis, in arte  
poetica. Ioannes ille Grammaticus, cognomento  
Philoponus, cuius in multa Aristotelis scripta  
doctissimi commentarij extant, (Deum immorta-  
lem) quantus in philosophia est? Suetonius in li-  
bro de Grammaticis, se audisse patrum memoria  
testatur, quosdam è Grammaticis statim ludo trā-  
sisse in forum, atque in præstantissimorum patro-  
norum numerum receptos; nō paucos, addit, egre-  
gios poetas fuisse. Sit igitur non decorum, non di-  
gnum istis academicis, quod maxime decorum,  
maximeq. dignum summis illis & doctissimis ui-

D ris

ris uisum est. Faciunt nam intelligendo, ut nihil intelligant. quamquam noui multos Academicos, quorum tu primum locum tenes, multum ab istis sciolis qui dissentirent; quiq. ut sunt in omni genere doctrinae excellentes illi quidem, & omni laude honoreq. digni; ita a me maxime coluntur, & obseruantur. sed haec haecenus, quae libenter praetermissem, nisi ad hanc, quam scribo epistolam, mihi propemodum necessaria fuissent. Diu est, cum te colo & obseruo, non aliqua repentina uoluntate, sed tuis uirtutibus adductus, quas merito in caelum ferri ab omnibus uideo. sed quo minus id tibi significarem, illud ipsum, de quo dixi, academicorum tuorum factum prohibuit. Verebar enim, ne si tu eam forte, quam illi habent, opinionem imbibisses de ludi uagistris & grammaticis, neque mihi ad te aditus pateret, si ipse uenire fuisset ausus; neque, si litteras maluissem dare, ea gratiam abs te ullam initura essent. huc accedebat, quod cum me non fugeret, te eum esse, ad quem alioqui locatum in dignitatis gradu amplissimo, nisi magnos uiros adire & litteras mittere, cuiusmodi a tui similibus scribi solent magnis de rebus, dare non deceret: is pudor & uerecundia, uti mari in medio uastus gurges cymbam obtrabat animum meum. Verum, quando tandem certior sum factus, te cum nominis splendore, cum digni-

dignitate, cum fortuna, summam facilitatem, humanitatem ac uirtutes omnes iunxisse; erexi me, atque mihi putavi licere, quod facere uellem, hoc est, meam in te obseruantiam tibi declarare. In quo faciendo si quid a me peccatum erit, non dubito, quin ob istas tam egregias dotes animi tui, non solum culpae liberationem, sed etiam errati ueniam abs te facile impetraturus sim. Quamobrem quos de te sapphicos uersus proxime feci, mei in te amoris atque obseruantiae testes, cum his ad te litteris mitto: quos cum te hilari uultu, libentiq. animo cognouero accepisse, magnum satis atque uberem huius mei in te studij atque obseruantiae fructum uidebor percepisse. Vale.

\* . . . . Epist. XXXIX.

**L**AUDES, quas in me contulisti, quam sis humanus, declarant: sed quia ab homine mihi ignoto proficiscuntur παρά προσδοκίαν, nondum constitui plus ne uoluptatis, quam molestiae attulerint. uoluptatem profecto ex eis cepi non medio crem, quia me abs te amari testantur; molestiae etiam non parum, quod meis me illae coloribus non pingunt. itaque neque plane eas respuunt aures meae, neque penitus ferunt. Litterae autem ipsae tuae tam sunt scriptae eleganter, quam ἀτλίως ἀδύα, loquuntur. quam earum ornata est oratio,

D 2 quam

S. FOLIANI EPIST. LIB. I.

quam distincta Græcis sententijs ? nullum  
(sum enim εὐδύρημονέσπερος) opus tam uer-  
miculatum mihi umquam contigit uidere. fortas-  
se huic tempori seruis, in quo personatos uaria  
uestis decet. nam sunt liberalia. sed uelim tibi  
persuadeas, me eum esse, qui prouocatus non pos-  
sum in amore non respondere. certè quoquam hu-  
manitate nolo esse inferior. te non noui de facie,  
ac ne ipso quidem nomine; tamen ad te flagitan-  
tem meas litteras, rescribo, & meam beneuo-  
lentiam defero: cuius assequendæ studio, si me  
scriptis lacestisti, gaudeo mehercule abs te initam  
eiusmodi rationem fuisse; sin potius is es, (suspi-  
cor enim) qui ad scribendum prouoces, ut & quã  
sis erudius ceteri intelligant, & quam inepti illi  
sint tute cognoscas: doleo sane me eo ingenio nõ  
esse, qui de aliorum eruditione iudicare, & me ip-  
sum cuiquam ostentare possim. tantum dicam te  
scripsisse, παῦρα μὲν ἀλλὰ μάλα λυγέος. Vale.

S. FOLIANI EPIST.  
LIBER SECVNDVS.

Paullo Sfondrato. (Mediolanum.)  
Epist. prima.



PTIMVS quisque nobilitati libe-  
ter fauet: quod & hæc a uirtu-  
te initium ducit; & a nobilissi-  
mis hominibus optima leges la-  
ta, resp. constituta, & alia plu-  
ra bona posteritati propagata  
fuerunt. qua caussa Athenis, Romæ, Carthagini  
reip. administratio, apud Persas Medosq. regnũ  
ijs dabatur, qui uirtutis & ingenij, non solum cor-  
poris & fortunæ ornamentis ceteros anteirent:  
quorum gloria usque ad nostram memoriam re-  
mansit, tamquam præmium illorum uirtuti debi-  
tum. Hæc animo agitans Paulle Sfondratæ (ma-  
lo enim te isto familiæ tuæ nomine proprio appel-  
lare, quam quo uulgus: siquidem nobilius est,  
propterea quod uti rei familiaris a parente tibi  
tradita est; ita nominis gloria, uirtutis, & rerũ  
gestarum ad te peruenit hæreditas) hoc, inquã,  
cogitans, qui possum, non plurimum tibi tribue-  
re, non te amare, non colere? quando tu quidem,

si bonis & sapientibus, ut olim, reip. administratio, regna, & reliqui summi honores deferantur; unus es, cui libentissime omnes uiri boni illa deferant & dent. sed talia ob nostrorum temporum corruptissimos mores desiderare possumus, non prestare: nec desunt profecto, qui ipsa expetunt: in quibus nomen ego profiteor meum. ac sane diu est, cum tui nominis splendore illectus & inflammatus te inter eos habere constitui, quos mihi colendos & amandos proposuissem; & si ad hanc meam uoluntatem declarandam se mihi ante hac obtulisset occasio, eam certe non amisisset. Qua propter, cum Franciscus Cicereius tuis me uerbis sit adhortatus ad operam & studium tuis filiis docendis nunquam; quemadmodum meam ad te beneuolentiam cum summa obseruantia tacitus antea detuli: ita nunc a te mihi oblata occasione, eam ipsum per has tibi litteras declarandam duxi; ut intelligas, me in summa tibi ac liberis tuis deseruendi uoluntate; rei tamen meae familiaris angustijs, uel potius illis rerum tuarum, de quibus ad ipsum Cicereium scripsisti, rationibus quibusdam impediti. ut enim summam gratiam ineam tecum, ut in me omnia a te conferantur, quae ab heroe splendidissimo expectari possunt: nisi tamen in ea re rationem meorum in primis domesticorum duxerimus; quo die, qua ho-

ra esse non miser potero, ac ualde sollicitus, quod illis egentibus potius, qui mihi proximi sunt, quam tibi, cui abunde adsunt omnia, non satis fecero? Id quod si aequi, quae est natura tua bonitas; bonique feceris, non dubito, quin uel habita tam mei, quam tuiratione, in me, cui tuos filios commissurus sis, ea, quae te digna est, liberalitate utaris; uel si te alio rerum tuarum illae quaedam rationes impellant, me tamen inter eos, qui te maxime colunt & obseruant, perpetuo habiturus sis. Vale. Mantua.

P. Ioanni Baptistae Foliano. (Burmium.)  
Epist. II.

MAGNAM ex honoris tui amplificatione ce-  
pi uoluptatem, tibi que per litteras sum gra-  
tulatus, quo primum tempore de ea ex meorum  
litteris cognoui. sed in tanta letitia mea non ni-  
hil molestiae mihi adsperebatur, quia tu nihil scri-  
beres. uerebar, me tu ea re ad diuersum uitae ge-  
nus translatus, consuetudinis ac necessitudinis no-  
strae esses oblitus. sed tandem dedisti litteras, quae  
amanter scriptae non solum hanc mihi molestiam  
absterferunt; sed id ipsum etiam, quod multo an-  
te meorum, ut dixi, litteris fuerat significatum,  
gratius & iucundius fecerunt: non solum quia

planius & apertius, quam illorum litteræ, loquebantur; sed quia tibi magis gratulari, tamquam præsens uidebar, cum ex te de te ipso audirem. Et, quod tanto consensu præstantium uirorum is tibi honos delatus est; ingenio industria & uirtuti tuæ tributum puto. non enim in tanto competitorum numero ad indignum detulissent. id quod iure & tuam & tuorum omnium lætitiæ maiorem debet facere. De studijs meis multa studiose disputas; in eoq. amorem tuum mihi dulcem & optatum demonstras: sed quid ego in eis præstare possim non uideo, in tanta rei familiaris angustia, cui præsertim infirmissima ualetudo accedit: qua sic interdum commoueor, ut mihi uitam acerbam putem. Vale.

Eidem. (Burmium.)

Epist. III.

**I**AMDIU dedissem has litteras ad te, si, qui ferret, habuissem. audieram cum ingenti animi mei dolore, te a Vincentio fratre meo alienatum nullo eius merito, aut culpa, sed repentina quadam uoluntate, quam suscepisses eius inuidis fauendi, quo tempore Ansideus eius filius, quem ego filij loco habeo, in uestrum collegium cooptandus erat. Postea autem, cum mecum ipse reputarem,

tarem, talem culpam ab homine tot ingenij & doctrinæ ornamenta habente non posse committi; induxi animum, ut crederem, uel ea ad me falso delata fuisse, uel te, quidquid fecisses, optimo egisse consilio: quod tamen a fratre meo, & ab alijs quibusdam in malam partem & contrariam raperetur. quare dolorem, quem ex eo nuntio hauseram, omnem abieci: quamquam illud mihi non minimam suspicionem immutata tuæ erga me uoluntatis moueret, quod nihil ad me litterarum iam diu dares, ternis præsertim a me litteris ad scribendum prouocatus. Atqui fortasse scripsisti, quæ tamen non reddantur, ut est fere eorum, quibus litteræ committuntur, uel negligentia, uel improbitas. quocumque se hæc modo habent, te absens absentem fero, tamquam præsentem, in oculis, cum iucunda ueteris nostræ coniunctionis memoria, quam nulla umquam uetustas obruet, nulla umquam obliuio delebit. De fratre meo, quin se tibi eum præstet, quem tu uolueris, mihi dubium non est: cum ad præstinam suam in te beneuolentiam nouæ affinitatis coniunctionem accedere uoluerit: quam qui fictis sermonibus conantur dirimere, suam improbitatem arguunt. Vale.

Antonio

Antonio Mariæ Venusto. (Mediolanum.)

Epist. IV.

**F**ACILIS materies est, in nebulonem illum di-  
cta dicere. sed quid indignius? conueni ho-  
minem, qui nobis pecunias dederat; quasq. iniu-  
rias acceperim, eidem exposui. ualde commotus  
esse uisus est. sed nebulo ille, quid adhuc non mi-  
natur? eius animi impotentiam cognitam habes.  
ego uero eum in dies minoris facio. & dum talē  
causā meā habeo patronum, ab illo metuo ni-  
hil. Vale.

Eidem. (Mediolanum.) Epist. V.

**I**S me nuntius, qui huc de fortunarum tuarum  
inaufragio afferebatur, summo dolore affecit.  
nam cum pro beneuolentia nostra dolendum mihi  
fuit, te iuuenem florentem ingenio tuarum rerum  
amissione tuis optimis de conatibus repulsum  
fuisse; tum summa ope nitendū erat, ut res tuas  
aduersas subleuarem, & dolorem hunc commu-  
nem aliquo pacto mollirem. sed hæc mihi in me-  
dio dolore euoluenti tuæ litteræ redditæ sunt, ea,  
quæ de naufragio allata erant, uana nuntiantes.  
quamobrem manus & oculos in cælum sustulī

Præ-

Præpotenti Deo agens gratias, tibi etiam gratu-  
latus absenti tamquam præsens, omnem illico cu-  
ram & dolorem deposui. uideor a mortuis reuo-  
catus ad uitam. scis Venuste, quanti te semper  
fecerim, quantum cum una fuimus, coluerim  
uirtutes tuas. nunc a te procul disiunctus, ean-  
dem uoluntatem retineo, quam nulla umquam  
temporis aut loci longinquitas immutabit. Te au-  
tem tuum in me amorem non abiēcisse, tua per-  
elegans epistola declarat. Vale.

Eidem. (Mediolanum)

Epist. VI.

**E**X ea oratione, quam abs te habitam de Au-  
gustini Morejchini Augustinianorum concio-  
natoris grauiissimi interitu ad me missam legi, ce-  
pi uoluptatem incredibilem. nam te tantos in e-  
iusmodi studijs progressus fecisse ostendit, quantiū  
uix a quoquam, atate qui sit prouectior, in eo ge-  
nere sperare possumus. non solum erudita est co-  
piofa & compta, sed grauis & hominum sensi-  
bus ac mentibus accommodata; ut incertum re-  
linquat ornatior sit an grauior; copiosior an eru-  
ditior. in qua multa præclara Christianis homi-  
nibus ad imitandum proposita sunt. Quod autem  
te purgas mihi de ea re, quod eam ad me, ante-

quam



## S. FOLIANI

quam ederetur, non misisti; nihil necesse erat: cū ipse nulla de re mihi suspectus sis. Tantum uelim isto ocio sic fruare, ut, cum te pulcherrimis ingenij monumentis ab obliuione posteritatis uindicare institueris; non nihil etiam nostri memoriam conseruandam cures. Vale.

Eidem. (Mediolanum.)

Epist. VII.

**S**I uales bene est. postulabat amicitia nostra, ut aliquando meis litteris responderes. desiderium enim tui, quo afficior, aliqua tua epistola lentret. sed hic locus non est ex postulandi tecum: quod prætermisum est, non dubito, quin a tibi nobis reponas, & diligentia industriaq. cōpenses & exaques, tuo hoc præsertim studio ingrauescente in dies, uirtutis fruge matura; etsi ætatis maturitas adhuc abest. Eram de te ualde sollicitus, quia quomodo ualeres, iam diu ignorabam; cum Hieronymus tuus salutem mihi tuis uerbis, ceteraq. ut uolebam, de te nunciauit. itaque magnam ex eo nuntio cepi uoluptatē, maiorem percepturus, tuas mihi litteras si attulisset Hieronymus: quæ quidem certe, cum a meis longissime absim, quorum adspectu cum dolore ca reo, magnam ad me consolandum haberent uim; uicemq.

## EPIST. LIB. II. 31

uicemq. illorum apud me tenerent. Quare te uehementer rogo, ad me uti des litterarum tuarum aliquid. Vale.

Petro Pergulæ. Tiranum.

Epist. VIII.

**E**RAM in Deciano, cum accepi tuas litteras: quibus perlectis Mediolanum me cōtuli, ut, quos libros petebas, quāprimū mitterem. itaque cum Cornelio tuo adiui Bibliopolas omnes: Scribonium Largum, & Antonium Benuenium, neque coniunctos, neque separatos inuenimus: Ambrosij uero Nolani opus quoddam reperitur; sed librorum inscriptio, cum ea, quæ in tua epistola est, non conuenit. Tu enim Quæstiones esse dicis in philosophia & medicina; illi habent, Castigationes in Auerroem. quapropter uolumen illud ad te mittendum non duximus, antequam quid uelis, a te ipso cognouerimus. sed redeo illuc. Eram in uilla, quo concesseram, ut huius cæli adspirationem grauem mihi & pestilentem fugerem, cum tuæ litteræ redditæ fuerūt: in quibus quia me ad ea hortaris, quæ si negligam, actum de me est; tuam in me beneuolentiam & singularem humanitatem agnosco. sane ita facere cōstitueram, uictus rationem in primis habere: tu tamen

tamen tuis litteris hoc mihi non modo probasti, sed ad perficiendum meum studium incitasti: ab eo, quod mihi a medicis est prescriptum, ne transuersum quidem unguem, ut aiunt, discedo. ex eorum consilio relinquo urbem, ut, quantum salutis in celi mutatione sit, experiar. sed odi uitam, etsi uita rerum omnium carissima est: sed odi certius peius, quam antehac hunc morbum: per quem etiam in uilla, quæ alios oblectant, mihi molestissima sunt. non me iuuat ruris libertas, ubi ueluti quandam nacti licentiam solemus liberius agere. sed tamen colligo me interdum, uirumque præbeo. Tu autem largieris hoc meo in te amoris, uel tuæ humanitati potius, ut omnino tuis litteris ne caream. Vale. Mediolano.

Eidem. Tiranum.

Epist. IX.

LITTERAS, quas Tirani XIII. Kal. Septemb. scriptas a te, Franciscus Crotus Mantua v. Idus una cum suis ad me misit, ego pridie Kal. Octob. accepi. in eis animum tuum pristinum in rem & salutem propensuram meam recognoui: pro quo tibi in perpetuum ero obligatus. etsi enim antea ex tua erga me amicissimi studij uoluntate, & sæpe in uerbis, & multum in re mihi cognita,

plu-

plurimum uoluptatis capiebam; tamen, quod nunc tam grata recordatione abs te repetitur, maiorem in modum lator: atque adeo, ne uiuam; ni hoc uno nomine uita ipsa, quæ mihi propterea mala, quibus opprimor, acerbata est, iam suauis uideatur esse. Quod si, quo tu es in me animo, eodem illi essent, qui maxime deberent; non esset, cur de fortuna tantopere quererem. quamquam ne nunc illa quidem tam est, quam olim fuit, aduersa mihi atque infensa: ac spe ducor, fore aliquando etiã propitiam, si a ueteri morbo & a nouis tentationibus iam confirmata mea ualetudo fuerit diuturnior. sed illi ualeant. nos inter nos amemus, quã diu licebit uiuere. Ego, mi suauissime Pergula, prius uiuere desinam, quam desiero te amare; ac, si quis apud inferos erit sensus superstes, illuc quoque mecum summi amoris erga te mei sensum deferam. Te autem mutuo facturum, quoniam facis iam, non dubito. Quod quæris de morbo, ita res habet: in hunc, quo tempore leuatus uidebar, de integro incideram non mea culpa, sed illorum, quos, antequam huc migrarem, mihi medicinam facientes illius causæ latuerunt: quæ postea altis defixæ radicibus molestiã auxere, nec nisi periculosis & ancipitibus curationibus adhibitis, cum summorum dolorum cruciatu, ac dispendio remoueri potuerunt. Vale. Casali.

Eidem.

Eidem. Tiranum.  
Epist. X.

O acerbum nuntium! o summū animi mei dolorē.  
Quis dabit in lacrymas fontē mihi? q̄s satis altos  
Accendet gemitus, & acerbō uerba dolori?  
Exhaurit pietas oculos, & hiantia frangit  
Pectora; nec plenos auidum sinit edere questus.  
Sic quidam non malus poeta, sed poetice, ut uides;  
ego, mi optime Pergula, minus etiam, quā  
concedit ueritas, de acerbissimo animi mei dolore  
tecum ago. Non. April. cum fratris mei litteris  
tuas accepi Kal. Martij scriptas: quæ mihi de  
Ansidi, filij fratris mei, probi & ingeniosi adole-  
scentis morte, & de tua inualetudine tristissi-  
mum nuntium attulerunt. quorum utrumque ita  
mihi molestum est, ut neque tu corpore grauius  
affecto esse possis, neque filij obitum frater meus  
molestius ferre; quam ego uestra causa sum per-  
turbatus & aeger. multa tu quidem grauius &  
copiose scribis, quæ mihi ad leuandas molestias  
magna esse debent: sed opprimor interdum & do-  
loris magnitudini uix resisto; uel quia hoc recen-  
ti uulnere accepto ea, ad quæ iam consuetudine  
obdurueram, renouantur; uel quod in me ipso  
non sunt aduersus magnos casus comparata præ-  
sidia

sidia ingenij & prudentiæ, quæ in te esse uideo:  
quem ualetudinis imbecillitate quamuis laboran-  
tem, ipsa tamen prudentia uel sapientia consola-  
tur. sed tamen hac me consolatione sustentabo,  
quam tuis mihi litteris adhibuisti, quoad tibi re-  
ste esse ac fratrem meum intellexero fecisse modū  
lugendi. Quod autem me ualde amari ab omni-  
bus scribis ob eas causas, quas pudore animus  
refugit meus referre; ita accipio, ut te aut alio-  
rum ingenium ex tuo metientem, aut nimio tuo  
erga me amore deceptum ea mihi, quæ ceteri nō  
tribuunt, tribuere existimem. In quo tamen cū  
facile patior te decipi, siquidem ex amoris id sit  
abundantia; tum maxime illud placet, a laudato  
laudari uiro. Qua autem sim ualetudine, quod  
uis scire, quando ex ijs litteris, quas ad te Fran-  
cisco Croto dedi, & iam perlatas arbitror, cogno-  
scere potes, hic nihil scribam. sum enim eodem  
in statu, in quo eram, cum illas scripsi: nisi pro-  
pter hæc, quæ de uobis uestræ mihi litteræ nun-  
ciarunt, turbatori sum animo. Quod ad meam  
professionem attinet; sic habeto, me non ante  
uenturum istuc, quam aliquid certius de stipen-  
dio mihi decreto intelligam; ne, uti Aesopi canis  
umbram consectans, carnes amittam. quod reli-  
quum est, te oro, ut, si me saluum esse cupis, tuæ  
ualetudini di ligentissime seruias. Vale.

E Eidem.

Eidem. Tiranum.  
Epist. XI.

**E**XPECTANTI mihi iam pridem tuas litteras, nihil ad scribendum suppeditatur. tamen nactus, qui istuc ueniat, has ei inanes malui, quam nullas dare; ut intelligas, me cum nihil facere libentius, quam tecum per litteras loqui, quia coram non licet; tum magno in mero-  
re uersari, quod ex quo te in morbum incidisse audieram, conualueris ne umquam, necdum a quoquam intelligere potui. nihil est iam, cur uiuere mihi iucundum sit, propter inualetudinem animiq. curas & molestias; fit tamen, ut, cum me ad hominum mihi amicissimorum, quos istuc habeo, reuocauit memoriam, ipsa mihi uita minus acerba uideatur. quorum quidem hominum mei amantissimorum quando tu princeps es, qui sollicitus esse non possum, quamdiu tibi recte esse cognitum non habebis? Quare si me tantum diligis, quantum saepe numero exposuisti, si te item tantum amari a me credis, quantum tua erga me merita postulant, fac me de tuo statu quam celerissime certiore. Vale.

Fran-

Francisco Villa nouano. Mediolanum.  
Epist. XII.

**N**VLLA negligentia factum est, ut orationem, quam a me in Milanum Apostoli habitam petieras, non miserim. totam enim Hiemem me incommoda ualetudo in lectulo tenuit, postea nactus, cui tuto eam ad te darem, nolui tamen mittere, quod sine meis eam litteris uenire non decere existimarem: quas, nondum satis firmo corpore, scribere non poteram. Nunc autem, cum Dei opt. max. beneficio, diuturno ex morbo ualetudo mea tandem confirmata sit, illam orationem ad te cum his litteris misi: in qua neque copiam neque ornatum uidebis ullum (neutrum possum praestare) sed optimam uoluntatem agnosces, ac studium, quo ueritatis defendendae a Milano praesertim prouocatus, ferebar. Quod si a me non satis est factum uobis in re illa; debetis ipsi, qui eloquentia ualetis plurimum, & mea & uestram uicem ita elaborare, ut, qua ego causam, uobis absentibus, communem litterarum neque copiose, neque ornate dixi, ex ea omnes necadamus. Vale.

E 2 Ga-

Gabriel Falopio. Patavium.

Epist. XIII.

**N**ON te fugit Falopi in corporis morbis, ut quisque est difficillimus, ita medicum quaeri nobilissimum atque optimum. Philippus Florenus, idem qui tibi has litteras reddidit, est maximis mecum uinculis & propinquitatis & affinitatis coniunctus, uir bonus, & ijs studijs, quibus ego delector, maxime prae datus. Hic a Petro Interiortulo socero haeres ex semisse factus, cum eorum bonorum in possessionem ueniret, a perditis hominibus uulnera permulta accepit: quae tamen omnia breui sanata sunt, praeter unum, quod dextrae manui inflictum sanari non potuit. Is nunc fama tuae celebritate & praestantis artis tuae ac scientiae opinione adductus ad te uenire constituit. sed quoniam intelligit, mihi tecum usum & consuetudinem esse; a me petit, ut se tibi diligenter commendarem. quare eum tibi commendo non solum ut necessarium meum & amicum; sed ut bonum uirum, gratum, & tuae amicitiae dignissimum; petoq. abs te, ut, quam artem tuam & diligentiam in mea ualitudine quondam sum expertus, in qua mihi tum ipsa scientia, tam etiam fedelitate & beneuolentia

ria satisfecisti, eadem ipsi Philippo prodesse uelis; desq. operam, ut intelligat, meam commendationem sibi magno usui fuisse. Vale. Burmij.

Ludouico Trino. Papiam.

Epist. XIV.

**Q**UEM libellum ad puerorum dialecticae operam nauantium ingenia exercenda a te scriptum Pompilius meus ad me misit; mirum in modum probo, quod elegans est, & ipsi Pompilio dicatus. Hoc enim tui in nos amoris est testimonium; illud quantum ingenio doctrinaq. praestes etiam declarat. sed quod tu beneuolentia tantum erga nos tua adductus facis; dabimus operam, ut meritis quoque nostris aliquando te tribuere existimes. Vale.

Eidem. Papiam.

Epist. XV.

**S**TATVERAM hoc ad uos tempore proficisci, sicuti ad Pompilium meum scripseram: ea tamen mihi acciderunt, necesse ut fuerit in Septembrem profectionem reuocare. qua de causa in praemis has dedi litteras, ex quibus, quid constitutum habeamus, & quid facere possimus, cognoscas:

E 3 scas:

S. FOLIANI

scas . interea desiderium nostrum litterarum cre-  
britate leniamus : quæ certe cum a me istuc ue-  
nient , non erunt eiusmodi , ut illis tibi Pompiliū  
uelim commendare , quem esse quam commenda-  
tissimum scio ; sed potius ut gratias agam de sum-  
mo in illum studio tuo & amore . nam , quod ubi  
ex publico te recepisti , domi eum priuatim doces ,  
quanti faciendum ? cur tibi eo nomine non debea-  
mus ? cur non agamus gratias ? sed efficiam , ne  
te studium & officium apud ingratos posuisse quis  
quam existimare queat . Vale .

Eidem. Papiam.  
Epist. XVI.

**A**D XI. Kalen. Sextileis accepi ad te litteras  
Non. Martijs scriptas : quibus de tua , &  
Pompilij nostri ualetudine optima nos docebas .  
his magno gaudio affectus sum . quod tamen is ,  
cui eas dederas , ad me non uenit , litteræq. Comi-  
delituere in hunc diem ; ea res mihi quidem gra-  
uis & permolesta accidit : quia ad eas tum sta-  
tim rescribere non potui per illum ipsum istuc re-  
deuntem ; neque postea , cui darem , alium quæ-  
quam habui . scripsi ad te antea , quid de profe-  
tione ad uos mea constituissem ; sed litteras per-  
latas non fuisse , ex tua epistola conijcio . quare  
scito

EPIST. LIB. II. 36

scito me discessionem in Septembrem distulisse ne-  
cessitati coactum parere . De Pompilio quod me  
mones , magnopere carum habeo ; eoq. magis ,  
quod is tibi in primis curæ est , cui a nobis fuit  
commisus . De quo aliquando , quam nunc ha-  
bemus , referemus gratiam . Vale .

Francisco Quadrio Antonelli filio .  
Clurium. Epist. XVII.

**A**NTONII Mariæ Venusti orationem legi au-  
dissime , alijsq. permultis dedi legendam : cu-  
ius lectione non mediocriter mens mea recreata  
est . Proinde tibi , amice , ago gratias , qui illam  
misiisti : tametsi Venusto indigni , qui eam legere-  
mus , uisi sumus . solebat ille nihil cudere , quod  
Folianus non uidisset suus : nunc parui facit , nunc  
obliuiscitur . sed hæc cum illo coram , uel fortasse  
etiam per litteras . sum delectatus eius orationis  
lectione : quam ad te , ut uis , cum his litteris re-  
mitto . Vale .

Cornelio Pergulæ . Tiranum .  
Epist. XVIII.

**E**ODEM tempore binas a te Crotus mihi litte-  
ras reddidit , latine alteras , alteras plebe-

in scriptas sermone : quarum priores me lætitia extulerunt , quod in eis tuæ erga me uoluntatis testimonium illustre ac mirificum sese ostendit ; alteræ autem etsi illæ quidem plurimum iucunditatis habent , mihi tamē hoc molestiæ adspargūt , quod tibi oculorum aciem post meum a te discessum obtusiores esse factam , & ob id alterius manu uti necesse esse , significant . sed Corneli , si ulla oculorum medicina est , nemo omnium , secundum Deum , te melius curare potest , quam patruus tuus Petrus Pergula : qui si medicinam adhibet , & ea nequidquam tibi prodest , Deum ipsum precari atque implorare debes , ut te tueatur ; tum bonam spem habere futurum , ut id incommodi , quidquid est , tibi compensetur multis & honoris & fortunæ commodis : quamquā hoc admirabili ingenio , quo excellis , iam satis magnam laudem inuenisti , & secunda fortuna muneribus satis multis te affecit . Quare gaudeo tuā fortuam meā esse ualde dissimilem . Et ut his bonis minime confidas , aut latere , quæ certe ipsa fluxa sunt ; te hominem esse cogita , tibiq. persuade , te eisdem , quibus alij quamplurimi afficiantur , molestiis affici , & fortasse leuioribus . hac ego cogitatione in meis malis uehementer confirmor ac sustentor . hoc ne tu multo melius discutias , quam ego , non uereor : tamen nolui

com-

committere , quin tibi quoque ea remedia , quibus ipse ad meam ægritudinem leniendam utor , breuiter nota facerem . ad reliqua quæ in utraque epistola scripsisti , respondeo breuiter . Primum tuam excusationem sapientem nō modo probabilem accipio ; deinde quod ad interpungendirationem spectat , separatim de ea scripsi , quæ cum his litteris ad te perferentur : tum de numero oratorum quæ a me petis , ea sunt eiusmodi , ut hoc tempore , quo ruri sum , sine libris non facile possim persequi . Tu interim , quando librarium tibi parasti nostrum utriusque amantissimū , fac sæpius ad me des aliquid litterarum . gratius enim nihil mihi potes facere . nam cum te propter adolescentiam tuam in filij loco habeo apud me ; tum mea ætas iam ingrauescens opis indiget , qua sustentetur : eam autem in florenti tua ætate ac uirtute , & omnino in tua erga me beneuolentia singulari positam & constitutam puto . quare cū tuas litteras lego , aut de te cogito , animus ualde conuiescit & exhilaratur meus . Vale . Voltæ .

Eidem . Tiranum .

Epist. XIX.

**N**ihil necesse erat , litterarum tarditatem mihi te excusare . tempestiue enim ad me ueniunt ,

ueniunt, quocumque tempore scriptæ; & nemini religio esse debet, quo minus officio litterarum an teponat commodorum rationem. scribendum est sepe quidem ad amicos præsertim, cum uel illorum uel nostra interest; sed fictis argumētis puerorum in morem styli modo gratia garrere, hominum est plane otio abutentium. Itaque post-hac omitte non necessarias excusationes, & perge facere, quod facis, scribe ad me, cum datur argumentum, ac ne tum quidem, nisi commodo tuo feceris. De statu tuo quod scribis me a Croto doctum iri; scito illum recta istinc in Villam suã profectum, & nondum uisum a me, dedisse Francisco fratri tuas litteras, mihi reddendas: quibus uarie affectus sum, dolore, quod Patruus tuus nullis remedijs lippitudinem tuam queat depellere; (nam nolle impium est credere) uoluptate, quia tuam in me beneuolentiã declarant, & tuorum omnium, a quibus me salutasti, uoluntatis in me propensionem. Quod autem coegeris alterius manu in scribendo uti ob tuã tarditatem, atque ob oculorum tumorem; non est, cur uereare, ne non æque mihi tuã litteræ aliena manu, ac si tuã essent scriptæ, gratæ existant, siquidem tuis cõmodis nihil habeo antiquius: at te lippitudine impediri, cui accesserit tumor repentinus oculorum ipsorum, molestissime fero. Vale. Voltæ.

P. Paulo

P. Paulo Archienfi. Mantuam.

Epist. XX.

CARMEN tuum uarie me affecit, uoluptate, quod Musis fauentibus conditum uidetur, et ab amico ad me missum fuit; admiratione, quia ijs laudibus me ornat, quas & Musæ, nisi mendaces, mihi non tribuant; & ego, nisi perfricuero frontem, non agnoscam. quod si te illæ, ut scribis, hoc facere coegerunt, ob id factum puta, ut, cum de me mentitus fueris (laxisti opinor earum numen) pœnas doctis hominibus, ad quos hoc iudicium pertinet, dare meritas cogaris. noni me ipsum: sum studiosus, fateor: atqui nihil tamē mihi æque molestum est, atque præter meritum laudari. Stultus iudicer, si musarum lenocinijs magis, quam ueritate ducat. Laudatus igitur a te, si reposcar rationem a bonis uiris, eos statim remittam ad te, qui eis satisfacias pro me. sed tamen de isto tuo in me studio ago tibi gratias, relaturus etiam, si tantum aliquando otij mihi suppetet, ad musas has mansuetiores me referre ut possim. Vale.

Conrado



Conrado Plantæ. Curiam Rhetorum.  
Epist. XXI.

**I**OANNES igitur frater tuus quinque filios sibi superstites reliquit, summa omnes, ut scribis, spe & animi & ingenij præditos: magnopere lætor, & illius manibus gratulor. quod enim illi hominem mihi amicissimum & uirum optimum amisi, magno dolore afficior. at, cum filios parenti ipsi quam simillimos fore intelligam, in eam spem adducor, futurum, ut, quod damni in illius interitu feci, horum sarciam beneuolentia: quos me hercule cum uidebo, cum alloquar, parente eorum uidere & alloqui mihi uidebor; & tandem in illis, ut in uiua huius animi & corporis imagine; deponam dolorem meum ac conquescam. Quamobrem, quam mihi gratum est, quod mandas, ut illis quæram magistrum? negotium hoc equidem libentissime suscipio; & cum omnes audiero, qui profitentur, quid sentiam de singulis, ad te diligenter perscribam; ut ipsis fratris tui liberis consulam, tibi etiam gratificer atque obsequar. non enim ignoro, & quanti referat, quæ nacti simus a puero magistrum; & in eo deligendo offensas subeundas esse. sed ego pro Ioannis liberis simultates, nedum offensas, tam æquo ani-

mo

mo suscipiam, quam Ioannes ipse faceret, si uideret. Vale.

Petro Pergulæ. Tiranum.  
Epist. XXII.

**C**VM nemo negligendus sit, in quo aliqua uirtutis significatio appareat, te ego hominem omnibus uirtutibus ornatum negligam? uiderer autem negligere, si Vincentio fratri tuo nihil ad te litterarum darem: qui me tuis uerbis salutauit. Quid uero scribam, nisi te a me plurimi ferri, & incredibiliter amari? de quo etiam me nihil scribente, te non dubitare, certo scio. Me quidem a te diligi uel illud unum declarat, quod mei absentis memoriam tantam retines, ut ab omnibus, qui istinc ad me ueniunt, me a te salutari uelis. sed cum te semper amauerim, ut scis, propter doctrinam, suauissimos mores tuos, & probitatem; salus tamen abs te mihi missa per fratrem ad pristinum meum erga te amorem accessionem attulit, ut mirer locum augendi in eo fuisse, quod iam pridem cumulatam uideretur. Quid si tu mihi scriberes? rogo te mi Pergula, uti litteris me nonnunquam tuis inuisas; quibus ad leuandam molestiam, quam capio maximam, quia careo tuæ consuetudinis fructu, nihil esse potest neque commodius neque potentius. Vale.

Eidem.

Eidem. Epist. XXIII.

**K** Alend. Iunij expectatissimas litteras a te accepi, quæ me maxima lætitia affecerunt. nam & ualitudine te iam uti integra, & tuum mei desiderium declarant: quorum illud quasi sitim diurnam, cupiditatem cognoscendi, quomodo ualeres, meam expleuit; hoc uero tui in me amoris, non noui illius quidem, sed ipsa recordatione iucundissimi, magnam significationem habet. in quo quod me hortaris, ut ad uos ueniam, non efficis, ut cupiam, qui cupiditate iam pridem ardeo; dolorem potius auges, cum, quod maxime uolo, id me consequi hoc tempore non posse, intelligam. Reditus enim meus ab ijs præcluditur mihi, quibus operam do maximis beneficijs deuietus. quare in aliud tempus reieci præfectionem: quo tempore persunctum officio me non inuiti abire sinent. quamquam, si quid id sit, cur me istuc uoces, ex litteris tuis cognouero; paullo celerius ueniam. Tuus in me amor, meaq. in te obseruantia me ad te inuisendum impellunt: tamen res perangusta & corpus non satis firmum, ne me longis itineribus dem sine magna causa, uideatur admonere. Quo circa, fac, obsecro te, ut sciam, quid consilij tui sit; ubi sciero, cum primum

num potero, libenter id sequar. Vale.  
Casali.

Eidem. Tiranum.

Epist. XXIV.

**N**ONDUM incommoda ualitudine, quæ me menses quattuor totos lecto tenuit, plane emerferam, cum mihi tuæ litteræ plenæ officij & humanitatis redditæ fuerunt. quare ad eas tum non potui rescribere. nunc quoque nec dolore prorsus careo, nec corporis muneribus satis commode fungor. intestinorum dolor ita me nonnumquam afficit, utilia mihi dirumpi timeam. quidam etiam humores crassi e renibus & uesica profunduntur, qui non mediocre interdum, noctu uero quam maximum mihi negocium faciunt. E renibus ipsis multum laboro & continenter, quibus fit malis, ut in scribendo hoc quoque tempore breuior sim. quamquam quid pluribus ad te scribam? Epistola tua de officio & uoluntate erga me tua scripta eleganter, nihil præterea habet, quod te meas litteras de re ulla expectare significet. Vale. Casali.

P. Dominico Botefino. Mantuam.

Epist. XXV.

**V**ERVM est, quod doctissimis hominibus probari uideo; nihil ad amorem conciliandum uirtute

uirtute esse potentius, cum enim amor sit boni desiderium; nihilq. uirtute ipsa melius sit; annon hæc omnium rerum maxime eos, qui intelligunt, quid bonum sit, sui amore incendet? Eos uero, in quibus illa inest, nonne laudabiles, non etiam amabiles efficiet? Hoc ipsum cum sæpe alias in alijs, tum heri tecum agens expertus sum, Potestine. nam, quæ antehac de tua perfecta eruditione audieram, meum in te amorem sic commouerant, ut, si quando eius declarandi occasio si mihi obtulisset, eam non amittere constituerim.

Nunc autem, cum tu me, quem tibi minus cognitum putauit, ab improbi hominis & illiterati maleuolentissima obreclatione liberaris; non possum dicere, quantus ex hoc tuo facto ad pristinam meam in te beneuolentiam cumulus accesserit.

Itaque ad te hesternò die adiuui, ut & gratias agerem, quantas possem maximas, & eam uoluntatem, quam erga te susceptam iam pridem habeo, uiua, ut aiunt, uoce tibi declararem. quo in congressu id cognoui, quod mihi magna uoluptati fuit, te uidelicet, quam opinionem de tuis uirtutibus imbibissem, quæq. apud me aliorum sermone percrebuisset, non solum non sefellisse, sed longe etiam uicisse. nam præter sermones, quos habuisti mecum, clarissimis ingenij luminibus ornatos, tanta me humanitate & hilaritate in amicitiam

citiam recepisti: qua maiore, non qui nuper instituta amicitia, sed qui ueteri & summis officijs culta fuerit coniunctus tecum, peregre redeuntem hospitio accipere non posses. Hoc certe officio ita me tibi deuinxisti, ut nemini arctioribus, quam tibi coniunctionis uinculis obstrictus esse possim aut uelim. Quare tibi nunc operam, studium, diligentiam, laborem, mea denique omnia ad arbitrium tuum me semper collaturum polliceor. Vale, & quæ a me petieras his inclusa literis accipe. Ex adibus Guerreriorum, Volta.

## Decurionibus Castrì Noui.

Epist. XXVI.

**S**EBASTIANVS Faletus ex diui Francisci familia sacerdos, & ciuis uester diebus superioribus mihi significauit, se a uobis in mandatis habuisse, uti uirum aliquem doctum & probum uestræ iuuentuti magistrum quæreret; petijtq. a me, quem iam diu & habet cognitum & amicum expertus est, ut se hac in re adiuuarem: non potui hominianico in re tam honesta operam non polliceri meam. uerum quando eiusmodi uirorum, cuiusmodi unum uos habere æquum esset, mira est paucitas, & diu quærendo defatigati, illius inueniendi spem pæne abiiecimus; is ad me conuersus, te,

F inquit,

inquit, ciues nostri, ut conducerent, hortarer, si tu modò id oneris suscepturus esses. Risi tum, quippe qui ab urbe in suburbanum aliquod & rusticum Oppidulum me ab illo inuitari existimarem. Postea cum inter quosdam amicos meos, me præsente, sermo haberetur de uobis uestriq. Oppidi situ, de moribus, animiq. uestri magnitudine ac liberalitate, ita sum affectus, ut ipsi Sebastiano iterum petenti, me ad uos uenturum non sim ueritus polliceri, si impar labori atque industriæ meæ præmium a uobis mihi non proponeretur, Hodie uero uenit ad me idem, ac nuntiauit, uos nihil tui cupere, quam quem ille uirum ad docendū idoneum esset nactus, ad uos eum e uestigio proficisci; seq. accepisse a uobis ea de re litteras. Ego uero, sapientes uiri, non improbo uoluntatem uestram; sed tam celeriter me in uiam dare, meū consilium non est. nam præterquam quod remigrare his temporibus tam æstuosis, mihi subitum est; non satis prudenter, neque ex dignitate & e re mea facerem; si antequam ad me uos ipsi deritis litteras, et de præmio mihi a uobis tribuēdo constitueritis, istuc concederem. Itaque mearum partium duxi hæc ad uos scribere, ut sciat, me istuc uenturum ad Kal. Nouemb. si uos mihi curaturos sestertia octo annua promiseritis: tum lignorum tantum, quantum sit satis ad hibernum

bernum frigus soluendum, habitationem commodam, & suppellectilem, quam alijs ludi magistris consueuistis dare, mihi quoque paraueritis. Quod autem ad me attinet, dabo operam ut uestræ iuuentutis ingenia omni genere disciplinarum liberalium, quantum quidem in me fuerit, excolantur. cuius quidem meæ uoluntatis ac studij has, quasi prædes, litteras dedi ad uos, ex tempore quidem exaratas, sed gratissimas tamen uobis, ut puto, futuras. siquidem ut probis uiris non fucata & munditijs simplices mulieres placent; ita hoc litterarum genus minus elaboratum doctis maxime probatur. Vale.

M. Antonio Nattæ. Casale:

Epist. XXVII.

**P**VLCHRVM mehercule ac præclarum est, Natta sapientissime, alijs præstare, quæ nobis reddi non possint. hoc quamquam unius Dei opt. max. proprium est; interdum tamen magnorum uirorum esse dicitur. si unde, quæ bona omnes homines habemus, manant omnia, ipsumq. effectorem mundi atque molitorem Deum tantū spectemus, non dubium est, quin Deus solus deus nobis, quod ei reddere nequimus: sin autem seriè rerum, quæ ab hominibus geruntur, eorumq. offi-

cia mente etiam & animo lustremus, ut, quid optimus quisque ad beneficentiam conferat intelligamus; cogimur profecto hoc & illorum proprium esse fateri & prædicare, qui de hominibus ceteris benemerentur, & , ut uulgari prouerbio dicitur, *Dij sunt hominibus*. quæ in sententia me errare, cum animum inducere non possim, ut credam; non omnibus tamen, qui aliquem beneficio affecerint, hanc laudem tribuo, sed ijs duntaxat, qui certa id ratione faciunt: quam tu tenes *Nata, ac sequeris*. secus permulti agunt, quorum partem ea fallunt uitia, quæ uirtutem imitantur; alios improbitas ad deteriora impellit. nec mirum, siquidem illi optima de officio præcepta tradita a sapientibus ignorant; hi tamen illa tenent, tantum tamen abest, ut sint officiosi, & ea, de qua dicimus, laude digni, ut etiam de uiris bonis male mereri nunquam desinant. Tu autem, quæ tua sapiëntia ac probitas est, ita declinas istos errores, ut beneficia in bonos conferendo, malos sic deterreas a uitijs, ut etiam de his certo quodam modo benemereare. quod ipsum cum a quâ plurimis iam pridem intellexi; tum diebus proxime superioribus expertus sum, quando in me tantum beneficij collatum abs te fuit, quantum gratiæ tibi nunquam referre potero. De quo tamen gratiam tibi relatam esse litteris humanissimis  
 decla-

declaraſſi, ad me datis. Quare iure mihi facere uideor; neque tu ægre feres, si & te in illorum numerum adscribam, qui alijs præſtando, quæ ſibi reddi nequeunt, ſummis ſunt ornandi laudibus; & me huius tanti beneficij in me tui memoriam perpetuo retenturum, tibi nunc pollicear. Vale.

Petro Pergulæ: Tiranum.

Epist. XXVIII.

**Q**UAS mihi litteras redditas arbitrare, quibus ad meas Non. Iul. datas responderis; eæ nullæ redditæ fuerunt, hisq. lectis, quas proxime accepi xvi. Kal. Sept. scriptas, miſi ſtatim ad cænobium, quod a me xv. mill. paſſuum diſtat, ubi Monachus ille degere dicitur, cui tuas litteras dedisti. quo monacho non inuento, ceteri reſponderunt, illum profectum ad ſuos in patriâ, nondum rediſſe. itaque uehementer ſum perturbatus. dici enim uix poteſt, quam tuarum litterarum lectione recreer; contraq. commouear, cum non perferuntur. Eo, ſi iſtic non eſt, quid factum ſit, diuinare non poſſum: niſi in aliud uocatum ſuperior commigravit. Tu ſi me amas, & ſi te a me amari, uis; ad me illius epiſtola mittito exemplum. impediri enim uoluptatem, quam ex tuis litteris capio, ferre æquo animo non poſſum. has,

quæ perlatæ sunt, identidem lego, breues quidem, sed suauis & incundas: in quibus quod ais, te meis Latinis delectari, tuum erga me studium facile perspicio; tuas autem te uelle a me lectas statim concerpi, ne ab alio quoquam legantur, quia ineleganter scriptæ sint, tuam modestiam agnosco. sed in hoc tibi parere non possum; in illo operam dabo, ut te meis sæpe oblectes. nam quas Latine & eleganter scribis, non est, cur te pudeat ab alijs etiã legi: sunt enim dignissimæ, quæ a doctissimo quoque legantur. meas equidem, quoties erit, cui dem, non prætermittam, etsi negligenter scriptas. Cum enim in amore superiores te ferre parteis non patiar, qui potero pati, ut in scribendo me superes? sed hæc satis de litterarum officio. Qua autem condicione uiuã, quod scribis te intelligere; atque quod Tiranensium condicionem non accepi, meum non probare consilium; ego mi Pergula, nisi hominum mihi carissimorum, quos istic habeo, tuaq. in primis consuetudine carerem, meliore hic condicione uiuerem. nam præterquam quod mei laboris fructum multo uberiolem hinc percipio; labor me hercule ipse ne cum parte quidem decima illius, quem apud uos suscipere necesse habuissem, æquatur. Fuit uero tuum consilium amantissimum atque fidelissimum; sed eorum negligentia & tardi-

tate

tate, qui negotium conficere debuerunt, factum est, uti huc me conuerterem. Vale. Mantua.

Eidem. Tiranum. Epist. XXIX.

**N**ISI ingenium tuum probe nossem; mihi abs te uerba dari suspicarer. dum enim de te ipse detrahis, quæ summa tibi insunt; mihi autem tribuis, quæ non ego quidem agnosco: quid aliud significas, quã me laudibus, quibus a te efferor, multum; te uero ijs, quas tibi tribuo, parum delectari? sed res non ita habet: siquidem tu sic es institutus, uti cuiquam os (Plautino utar uerbo) sublinere nequeas; ego ita me comparauit, ut nimio interdum amore possim decipi, at qui decipere neminem uelim. cum te laudo, res ipsa, quæ oculis cernitur, ut id faciã, me cogit, non Amor solum: qui cæcutientes oculos fallere quidem potest, uidentes non potest. Ego sane, quem tu literas, quæ aureo sæculo uideantur scriptæ, dare ais; laborauit, etsi non perfecit, ut antiquis illis, qui maxime probantur, in scribendo simillimus essem: uerum tantopere non desipio, ut cuiusquam uel doctissimi approbatione, me illud esse assecutum credere animum inducam, quod paucis adhuc, & ijs, præstantissimi ingenij hominibus, qui omnem pæne ætatem in eiusmodi studio

F 4

contri-

contriuerunt suam, uideamus contigisse. Satis me hercule fuerit, si nos nostri studij rationem poscentibus, aliquam reddere poterimus. sed omitamus hæc, quæ ad ambitionem incumbere uidentur; nec committamus, ut nostræ litteræ eodem hoc in argumento semper uersentur. Scribas tu ad me, ego item ad te, quidquid libuerit, modo ne sit eiusmodi, quod alteri palpari alterum coarquat. Fidenter, quidquid in buccam uenit, conijciamus in epistolas; nec Ciceroniana an sit locutio, anxie queramus, dum planius expromamus animi nostri sensa. quod si disquirendum est aliquid, id non de uerbis, quod propemodum puerile est, sed de re sit aliqua, quæ ad uirtutem comparandam interfit. Hæc de ratione scribendi inter nos: quæ abs te probatum iri non dubito: cui facienti medicinam ex usu sit, euoluere artis medicæ scriptores potius, quam Ciceronem, uel Plautum, uel Terentium, uel Cæsarem, & ceteras Latinæ linguæ delicias. quamquam te hos quoque libros diligenter legisse, dum ætas tulit, litteræ, quas Latine & eleganter scribis, demonstrant. At tibi (inquis) nihil est impedimento, quo minus polite & luculente scribas: quippe qui eos libros, quibus eloquentia paratur, continenter legis. Lego equidem, & ingratis lego: quando artem, quam factito, desinere mihi non licet.

Cum

Cum ad te libenter Latine scribam, quia te Latinis delectari audio, & hoc tu me scribendi genere uti præcipis; tamen cum ab illis libris discedo, uideor mihi uiuere; cum ad eos redeo, mori. quo fit, ut, quoniam quotidie libros modo relinquere, modo in manus sumere necesse habeo; quotidie etiam & moriar & reuiuiscam; neque facultas mihi detur cogitandi, quid ad meos, aut quomodo potissimum scribam. huc accedit, quod scis, mihi etiam incommoda ualetudo. Vale.

Eidem. Tiranum.

Epist. XXX.

**S**BITVS Croti discessus me ei ad te dare litteras cupientem prohibuit. nam Voltæ cum essem cum Guerrerijs meis, quod oppidum xv. mill. Mantua distat; eaq. iter ille haberet, adijt ad me, si quid uellem: cui cum me libenter litteras ad uos daturum dixissem; nocte tamen multa oppressus non potui scribere, nisi ad Cornelium tuum, ad te etiam scripturus, si uel tui stomachi scriptionem, qua facillime utor, uulgarem intelligerem esse, uel ad Latine scribendum id temporis mihi satis fuisset. huc accedebat, quod diutius Crotum detineri istuc properantem scribendis a me litteris, in quibus nihil esset, quod te sci

re

re uel tua uel mea interesset, inhumanum uidebatur. Nunc autem, cui commode dem, nactus, etsi non a modum probo illos, qui (uti scripsi ad te antea) nullo argumento proposito accedentes ad scribendum, sapius iactant, & quasi ostentat beneuolentiam, nihilq. mihi occurrat, quod scribam, aliud: tamen cum tibi in amicitia colenda multum officio litterarum tribuenti cupiam satisfacere, malui hoc ipsum, in quo alios accusare soleo, argumenti arripere, quam tacendo non plurimi tuam beneuolentiam uideri facere. Itaque ne uiuam, si concedo tibi, ut plus me diligas, quam ego te amo: qui debeam in hac ratione partis ferre potiores. Vt enim initia & ortus nostrae familiaritatis, quorum semper mihi quidem est iucunda recordatio, omittam, cum tu principio a me expetitus dedisti te mihi promptum, & facilem; atq. reliqui deinceps temporis indicia tua erga me uoluntatis praetereantur, quae & magna & multa sunt: quod eandem amicitiae fidem absenti mihi, tam diu praestas, quam olim praesenti semper praestitisti; quid quaeso constantius, & ad amorem conseruandum in te meum potest esse potentius? Hoc tuo officio renouatur, uel potius in dies mihi crescit pristinae illius consuetudinis tuae desiderium, redeundiq. ad uos fortasse etiam maturius, quam rei meae familiaris rationes

nes postulant, & apud uos, tamquam in placidissima quiete, me his diuturnis laboribus atque molestijs laxandi. Quod profecto (ne quid mei consilij te lateat) faciam persunctus hoc munere, quod mihi adhuc annum reliquum est: nisi uos aliter suaseritis. interim, mi Petre suauissime, & optime, da operam ualetudini, si me saluum esse uis. nam praeter te, Vincentiumq. fratrem tuum ac Cornelium meum, praeterea paucos alios, nihil est, quid me istuc magnopere inuitet: quorum uita nisi sit incolumis, alia mihi ratio meae uitae ineunda est: non quod molesto uos onere mei tutandi premere in animo habeam (uiuam enim meis rebus contentus) sed quod in optatissimo conspectu uestri, & in iucundissima consuetudine meorum, qui uos estis, meam ingrauescentem aetatem placidius conquieturam ab improbis laboribus mihi sit persuasum. Vale.

Porphyrio Foliano. Burmium.  
Epist. XXXI.

**M**E rogas, ut de numeri, quem Aureum uocant, & Epactae inueniendae ratione aliquid scribam, si lubet & ocium est; quo scire possis, quoto cuiusque mensis die Luna uel coniunctionem habeat cum Sole, uel eius e ratione facta



Et sit. Ego, etsi otij non multum datur, & hæc mathematicus, quam Litterator, tradere facilius potest; quia tamen tuo in me amori hoc dandum est, afferens occupationibus uim tantisper, dum tibi obsequor, mathematici parteis suscipiam. sed de Lunæ circulo quedam præfari operæpretium est, ut ea, quæ quarimus, melius percipiantur. Luna annis XIX. circulum, qui Græce Κύκλος dicitur, conficit, hoc est, ad idem, unde semel profecta est, caput se refert. quamquam enim dispensationibus (ut inquit Macrobius) septenarijs luminis sui uires sempiterna lege uariando ita disponit, ut primis septem diebus dimidiata semiorbē ostendat, Græcoq. sermone διχόμενος, & διχότομος uocetur, quasi dimidia; secundis totum orbē compleat, fiatq. ut uulgo loquuntur, Plenilunium, latine oppositio, quod Græci πανσέληνον uocant; tertijs rursum διχότομος efficiatur; quartis fiat totius Lunæ cum Sole, (quod interlunium uocant, & silentem Lunam, & intermenstruam) Græce σβύδος dicitur, Latine Coniunctio: cum, inquam, singulis fere mensibus hoc modo & cum Sole coniungatur, & eius fiat e regione; non tamē eodem die & gradu & puncto, quod dicitur, id facit, nisi confecto XIX. annorum Cyclo. Quia uero eiusmodi anni Lunares diebus IIII. & L. & CCC. addita diei parte aliqua conuertuntur; sol

autem

autem v. diebus & LX. & CCC. & insuper quarta diei parte cōuersionem conficit annuam: undeni annis Lunaribus adduntur dies, ut eis cum solaribus conueniat. itaque cum circulus ille, qui non inepte ab eiusmodi rerum peritis Decemno uenalis appellatur, undenis diebus quotannis auctus reuoluatur; menses uero, quamuis ita dicti sint, quod ijs singulis Luna lustrato cursu suo Solē consequatur; non lunæ tamen, ut deprebensum est, sed solis rationem sequantur, unum Zodiaci signum singulis mensibus, & diebus singulis unū gradum percurrentis: dierum lunæ & coniunctionum cum sole, & contra oppositionum, ac medietatū ipsius luminis accreationis uel diminutionis, quas quadraturas intermedias nonnulli uocant; non ex ipsorum mensium, sed ex cycli cursu & conuersione, ratio cognoscenda est. Primum igitur annis a Iesu Christi ortu adde unum, quia quo ille tempore natus est, luna unum cycli annū compleuerat; deinde eos omnes per numerū XIX. qui est numerus annorum unius conuersionis ipsius cycli, diuide: si quis numerus diuisioni superat, is est eius anni, de quo quæris aureus, & indicat tot circuli annos a luna esse confectos; quem admodum partitionis numerus XIX. quem uocāt Quotientem, tot cycli conuersiones, quoties eum omnes anni a Christo Nato complectuntur, esse fa-

ctas

Etas ostendit : sin nullus superat, scito postremum circuli annum agi, hoc est, aurum numerū XIX. esse ; ut hoc anno CIO IO LXXVI. quia diuisioni nihil superat, habemus ultimum numerum cycli, aureum XIX. & conuersiones LXXXIII. anno uero proxime superiori habuimus aureum numerum XVI. quæ superabant diuisioni . anno itē proxime sequenti erit Aureus numerus I. quia novās diuisioni superabit, & primum cycli annū indicabit . Illud tibi celare nolo, Aureum me putare hūc numerum appellatū, (quod ni fallor) ad explicandos temporum ordines, quemadmodum aurum ad diuersas gentes commercio miscēdas, usus magnos adfert. nam inuentus a Caldaeis & Romam missus a Romanis in Kalendario aureis litteris fuit scriptus ppter (ut testatur Sacrobustus in libello de anni ratione) eius facilitatem & utilitatem. Hinc Epacta, quæ ἐπάκτι Græce dicitur, Latine interpositio, exurgit numerus; qui duobus modis inueniri potest; uno quidem, si ducas aureum numerum eius anni, cuius epactā quæris, in XI. & productum partiare per XXX. qui partitioni superabit, Epacta numerum esse scies. ut Aureus numerus huius anni CIO IO LXXVI. sunt XIX. ducta hæc in XI. producant CCIX. quæ diuisa per XXX. quasitum Epacta numerum XXIX. quæ partitioni superant, efficiunt, altero

altero modo, diuide aureum numerum, qui eius anni inuentus fuerit esse, cuius Epactam quæris, per III. si nihil reliqui sit, totidem sunt Epactæ eius anni, quot aurei numeri : ut anno superiori CIO IO LXXV. cuius aureus numerus fuerunt XVII. sin restat uel unum, hoc pro X. uel duo, (plura enim non possunt) his pro XX. una cum aureo numero adnumeratis, quæ inde constat, si erunt intra XXX. est Epactæ numerus, quod usu uenit hoc anno CIO IO LXXVI. cuius aureū habemus numerum XIX. & Epactam XXIX. si uero summa ultra progrediatur, ablati XXX. reliqua tantum erunt Epactæ. ut anno CIO IO LXXIII. cuius aureus fuerunt XVII. Epactæ tantum III. quæ superant tricenario. sed in hac ratione illud tenendum est, quemadmodū aureus numerus in perpetua conuersione ab uno incipiēs in XIX. producitur suo a luna confecto circulo; ita epactam eodem in cursu, ab XI. (hic enim numerus est additio illa XI. dierum, qui annis lunaribus adduntur, ut eis cum solaribus cōueniat, ut initio dixi) incipientē, produci usque in XXIX quotannis ad præteriti anni numerum XI. additis; ita ut uoluentibus annis, cum numerus ex hac additione crescens superat tricenario, de lucentur XXX. & superantia duntaxat Epactæ assignentur; & cum in eiusmodi progressu ad XXIX. Cycli

Cycli epactæ ultimum numerum peruentum est, anno sequenti, non addantur XI. ut a XXX. reliqui fiant X. sed ab ipsius cycli capite, qui sunt XI. dies additionis, repetatur principium. nam epactæ numeri XI. respondent aurei numeri principio, quod est I. XXI. epactæ respondet aureo numero II. rursus additis XI. fiunt XXXII. a quibus ablatis XXX. ut docuimus, restant III. epactæ, quæ respondent aureo numero III. itemq. additis XI. fiunt XIIII. epactæ, quæ respondent numero aureo IIII. & ita deinceps usque ad XXIX. qui est ultimus numerus additionis, sicut XXI. ultimus cycli. quod melius percipies ex ordine figuris arithmeticis infra scripto.

Cyclus.

Aur. nu.	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10
Epactæ	11	22	3	14	25	6	17	28	9	20

Aur. nu.	11	12	13	14	15	16	17	18	19
Epactæ	1	12	23	4	15	26	7	18	29

Hæc de Aurei numeri & epactæ ratione satis superq. accipe modo de lunæ coniunctione & oppositione, quæ ex Epactæ numero cognoscitur, sicut epacta ab Aureo exurgit numero. Inuento Epactæ numero adde kalendarum numerum, quæ a Martio fluxere, (nam in hac ratione lunari

anni

anni initium a Martio ducitur) productum aufer a XXX. reliquum indicabit, quo die cum Sole Luna, coniunctionem habitura sit, uel habuerit eo mense, & XV. post die e regione solis futuram, uel XV. die ante eum diem e regione factam: ut quæro, quoto die Ianuarij in hoc anno CIO IO LXXVI. Luna cum Sole coniuncta fuit? epactæ numero, quæ sunt XV III. (cum enim Ianuarius & Februarius semper quod ad hanc rationem pertinet, anno antecedenti tribuantur, hoc etiam anno, licet a Saluatoris Natiuitate incipiens ecclesiæ Romanæ more sit CIO IO LXXVI. ad annum tamen CIO IO LXXV. refertur, & Epactâ habet XV III.) adicio numerum Kalend. hoc est mensium, qui a Martio fluxerunt; sunt XXI. hæc aufero a XXX. remanet unum; primo igitur Die Ianuarij, hoc est Kalendis fuit lunæ cum Sole coniunctio. Item quæro quo die mensis Iunij CIO IO LXXVI. Luna cum Sole coniunctionem habitura sit; cum XXI. epactæ coniungo IIII. Kalen. producuntur XXXI. hæc aufero ab IX. (nam quando omnis summa numerorum tricenario maior est, sic operari oportet) reliqui summa fit XXVI. die igitur uicesimo septimo Iunij Luna cum Sole coniunctionem habebit. similiter quæro de Aprili eiusdem anni, inuenio coniunctionem eiusmodi factam esse, die XXI. hoc sciendum

G tamen,

tamen, ne quis hæc putet, quæ tibi scripsimus de Luna, in omnibus respondere ijs, quæ in Ephemeridum libris reperiuntur; nostram hanc rationem nonnunquam fallere, sed tamen ad uerum proxime accedere. sed redeamus ad rem. Oppositio- num uero dies cognita ratione coniunctionum facile inuenitur xv. dierum additione si de futuris quærat: uel detractio, si de præteritis: similiter quadraturarum intermediarum, hoc est, medietatum accretionis & diminutionis ipsius lunæ luminis, diem inuenies; si uel addideris uel subduxeris vii. dies. Atqui tamen si tibi hæc fortasse difficilia uidentur; potes & hoc modo facile, quod quæris, inuenire. Epactæ numero Kalen. numerum, & præterea dies mensis, quotquot præterierint illum diem, quo die quotum diem luna agat, scire uoles, addito: si numerus productus erit intra xxx. is indicat, quot dies luna nata sit; sin maior erit, detractis xxx. reliqua summa erit dierum lunæ. Hoc modo Agricola utuntur, tamquam facillimo. a quibus te industria superari, cum damnosum, tum turpe tibi ducet. Vale.

Porphyrio Foliano.

Epist. XXXII.

**F**LAGITAS, ut, quoniam Horatiani interpretes in explanandis uersibus illis, qui in O de v. lib.

lib. III. insunt, qua Ode Augusti laudes celebrantur & Reguli Constantia, (uersus enim illi sunt; Hoc cauerat mens præuida Reguli Dissidentis conditionibus Fædis & exemplo trahentis Perniciem ueniens in æuum.)

Quod, inquam, in horum uersuum explicacione interpretes minime tibi satisfaciunt; petis a me, uti, quid ipse sentiam, de eo te non celem. Ego uero, ut legi tuas litteras, non solum Horatium ipsum, sed interpretes uolutans, rem perspicuam unius litteræ additione obscuratam animaduerti. nam, quod ab aliquo librorum inepto correctore, uel potius egregio corruptore, participio trahenti addita est S, littera; ea causa fuit, ut uersus illi perperam, ni fallor, exponerentur ab omnibus interpretibus, præterquam a Porphyrione, qui ueram lectionem agnoscit, quemq. ego sequor. quid enim sibi uult, ut isti interpretantur, Exemplo trahentis, id est, arguentis & inferentis imitatione perniciem in æuum ueniens? uel ut quidam, Non probantis exemplo perniciem ueniens in æuum? an non recte, Dissidentis conditionibus fædis & exemplo trahenti in perniciem æuum ueniens? ut scilicet, quemadmodum Cicero in Oratione pro Pomp. Non possunt (inquit) una in ciuitate multi rem atque fortunas amittere,

ut non plures secum in eandem calamitatem trahant: ita Horatium, exemplo trahenti perniciem ueniens in auum, dixisse pro certo habeamus. quibus tamen in uerbis hyperbati speciem inesse uidemus quandam, quæ nimirum in commutatione legitimi ordinis uerborum facta est: cum rectum fuerit, si carminis lex passa id fuisset, Exemplo trahente in perniciem auum ueniens. sic enim Veniens auum significat a uo uenturo uidenturos, ut Posteritas posteros. quamquam etiã sine ulla figura, cur trahenti potius, quam Trahentis legamus, nihil est. Hæc satis. Vale.

Lælio Montalerio. Mantuam.

Epist. XXXIII.

**D**UBITARVNT sapientes olim, & Plato maxime omnium, uoluntario ne motu animi, an fato aliquo nomina propria hominibus imponerentur; an horum utrumque etiam ad eam nominationem concurreret. uidebant enim Hectorem, Priamum, Agamemnona, Atreum, & alios quamplurimos, de quibus Humerus multa canit, ita fuisse nominatos, ut omnem eorum uitam & mores nomina ipsa quasi notatos ostenderent. nam Hector possessorem, Tantalus infelicissimũ, teste Platone, Priamus redemptum, Agamemnon

non stabilem, & perpetuã permanſionẽ, Atreus indomitum & inexorabilem noxiumq. significat: ne tibi nunc recenseam Melampum, Hippocratẽ, Aristotelem, Galenum; & ex sacris litteris Hebræorum permultos, quorum nomina res ipsæ consecutæ sunt. intelligebant contra, alios etiam fuisse appellatos ijs nominibus, quæ quid sibi uellent, nulla ratione intelligi posset, fortasse etiam nihil significantibus. unde collegerunt, ab imperitis quidem parentibus indi temere nomen filijs; a sapientibus uero, qui diuinationem haberent aliquam, illud imponi, quod ex astris uitæ filiorum cursui notato ex æquo respondere uideretur. Quæ omnia pater tuus uir prudentissimus, & iuris diuini & humani consultissimus, etsi falsa uana & incerta intelligeret, quippe cum haberet exploratum, ut de futuris nemo, nisi Deus, potest cognoscere; ita nullam scientiam futurorum certã aut stabilem ex astris dari: die tamen lustrico Lælij nomine te appellari uoluit, augurans non ex siderum ui & motu, non ex auium uolatu, aut ex oscinis cantu, aut tripudijs solistimis, quæ omnia Christiani homines uanitate inaniora esse persuasum habent; sed ex spe, quæ tota Deo præpotenti nititur, te talem euasurum, qui Læliũ nomen inter Christianos homines tanto melius tuereris, quam inter Romanos (uos Lælius ille sapiens

G 3 habitus,

habitus, quanto Christiana religio & persuasio  
 nostra, in qua ipsius Dei opt. max. summo nume-  
 re nati & educati sumus, non solum religioni,  
 quam Romanus Lælius coluit, sed orbis terrarum  
 omnibus præstat. quod ita cessit, Dei voluntate,  
 ut, qui te norunt, id nominis nemini magis con-  
 gruere, quam tibi, uno ore fateantur omnes.  
 Enimuero, si iurisprudentiam, qua excellis; si  
 eloquentiam, quam cum sapientia coniunxisti; si  
 grauitatem tuam cum humanitate coniunctam;  
 si animi æquitatem tui, ac pietatem in Deum &  
 homines postremo consideremus: rem tu quidem  
 præstas nomine ipso tuo dignam, ne dicam, ma-  
 iorem. Neque uero hoc iudicium duntaxat no-  
 strum esse putes; ita ante nos principes uiri iudi-  
 carunt; ut Gulielmus Gonzaga princeps ut opti-  
 mus ita prudentissimus, te Mantuæ Senatorem  
 esse uelit, & præmijs decoret amplissimis. Nec  
 a me hæc tuis auribus dantur, sed ueritati, quæ  
 cuncta, ut sunt, in lucem profert. non tui conci-  
 liandi nobis gratia dicuntur, cum beneficij nos  
 tibi prius obligaueris, quam id a te petierimus:  
 non, quia sperem, tibi hac laudatione gratiam  
 pro beneficio in me tuo a me relatam iam fuisse;  
 cum gratias tantum me tibi agere, quæ re-  
 rum mearum tenuitas est, satis existimem, quo  
 gratum animum ostendam. O singularem huma-  
 nitatem.

nitatem. commendaſti me Hieronymo Guerre-  
 rio Litteratorum Mecænati, & ut ille mihi in di-  
 sciplinam traderet liberos, & præmium satis ma-  
 gnum persolueret, effeciſti. Equidem, quantum  
 niti industria potero, faciam, ut neque tu me illi  
 frustra probaſſe uidearis, neque illum ſuos mihi ſi-  
 lios commiſiſſe, umquam pæniteat. ad hæc, eſſi  
 mei traditas ingenij quidquam ad laudem ſcribe-  
 re me prohibet; in id tamen incumbam, ut non ij  
 modo, qui nunc uiuunt, te de me optime meri-  
 tum eſſe intelligant; uerum apud poſteros etiam  
 iſtius tuæ humanitatis, & animi uoluntatis ad  
 iuuandos bonarum artium ſtudioſos tuæ propen-  
 ſæ, memoria nota atque teſtata relinquatur.  
 Interea paraphraſim carmine in Pſalmum Dau-  
 dis xv. quam tibi dicatam, & cum his ad te  
 litteris miſſam nudiuſtertius lucubratus ſum,  
 meæ in te obſeruantiaæ teſtimonium accipe, &  
 lege; non in iſtis occupationibus, quæ te nunc  
 obruunt, ſed per otium, ſi modo tantum tibi  
 aliquando dabitur, noſtra uti poſſis legere. Ne-  
 mini enim eam magis deberi, quam tibi, ſum ar-  
 bitratus, qui in iudicando & de iure reſponden-  
 do, conſulendoq. principi tuo, ac ciuibus iſtis  
 æquitatem colis, & manus abſtinentes habes,  
 quemadmodum in ea facere docemur; ut meri-  
 G 4 10

S. FOLIANI EPIST. LIB. II.

to tibi illius lectio maximam letitiam facere possit, cum promittat sempiternum in caelo  
domicilium. Vale.

S. FOLIANI EPIST.  
LIBER TERTIVS.

Ioanni Petro Marchesonio. Mediolanũ.  
Epist. prima.



*V* M anno proxime superiori  
istuc uenissem, cum multos alios, tum Fabritium Forerium  
percontatus sum de te diligen-  
ter, responderunt tibi a Sena-  
tu munus publice interpretan-  
di bonarum artium scriptores fuisse assignatum.  
quod me tanta letitia affecit, quantam maxi-  
mam potuit capere animus meus. Itaque ad æ-  
des tuas properavi, primum ut te salutarem, de-  
inde ut tibi gratularer id ipsum, quo ego maxime  
gavisus essem. Sed quidam ex tuis domesticis a-  
dolescens factus mihi obuiam in ipso ædium ue-  
stibulo, nunciat, te tota nocte febris iactatum,  
eam adhuc habere. hausi ex eo tristi nuncio ma-  
gnum hercule dolorem, & reuerti, ne interpel-  
lando te, molestiam augerem, quam tibi maluis-  
sem delere. Hodie uero, qui tibi has litteras red-  
didit, quo familiarissime utor, iuuenis sane quam  
ingeniosus, se isto uenturum significauit, ut in stu-  
dia

dia litterarum, te magistro, incumbat: hunc nolui siue meis litteris ad te uenire: ex quibus te a me mirifice coli, & amari intelligas. Vale, & me dilige. Casali.

Francisco Iolito Trino. Trinum.

Epist. II.

**H**UMANITAS tua satis omnibus perspecta & cognita, fecit, ut a te nullo mihi beneficio deuincto, perinde, atque si esses obligatus, petere non dubitem, ut librum, quem mense superiori tuis typis excudendum attulerat ad te Thomas Modestus, ad me per certum hominem remittas. fuit enim a me scriptus. id enim tum comodo tibi, tum honori mihi erit; si, ut opto, quaedam inserere, antequam exeat, per te licebit. nam redibit ad te cum faenore. A me, si tibi contingat mea uti opera, nihil praetermittetur, quod in rem tuam recte conducere existimem. Vale.

Vincentio Beccio. Comum:

Epist. III.

**T**E mei memorem atque amantem tuae litterae ostendunt esse, gratissimaeq. mihi acciderunt. inest enim ueteris nostrae coniunctionis recordatio

tio suauiter repetita. sed nostram coniunctionem hanc quidam fictis (puto) sermonibus dirimere conantur. nam deserunt, te dicere solitum, Orationem, quam De Nobilitate habui, abs te compositam scriptamq. fuisse. hoc te dicere, quonia falsum est, pro tua aequitate, tuoq. pudore credere nolo. quid enim impudentius, quam aliena nobis arrogare? quid iniquius, quam sua quemquam laude fraudare? quamquam oratio illa non ea est, ut quicumque eius auctor extitisse dicatur; laudem magnam illi tribuere possimus: si tu tamen. qui nihil nisi elaboratum industria soles scribere, hoc, quod ad me defertur, faceres; mihi gaudendum potius esset, quod talem habui orationem, cuius tu honore digneris; quam dolendum, quod ea fuerim spoliatus, cuius gratia nihil mihi laudis adsciscam. Sed haec adspersi, non quod delatoribus meae aures pateant; sed quod uelim te admonitum, a quibus nonnunquam cauere oporteat. Vale.

Ioanni Paulo Vbaldino. Venetias.

Epist. IV.

**H**ERONYMVS Landolius bibliopola Mediolanensis me tuis uerbis salutauit, & quod mihi summæ uoluptati fuit, recte tibi esse, ut uolumus,



## S. FOLIANI

lumus, nuntiauit. quo te primum tempore cognoui, cœpi amare ob eruditionem, & mores suavissimos. neque postea, quamuis longo locorum spatio a me disiunctus fueris, tui umquam oblitus sum. Itaque, cum te istuc esse ex Landolio audiam, nactus cui dem, hoc epistolæ argumentum arripui, ut scias, uel ex hoc, me antehac ad te nō scripisse, quia, ubi esses, a quoquam non poterā intelligere. Amo te igitur V baldine; me uero abs te diligi, cum salutare uolueris, habeo persuasum. Sed si feceris, uti litteræ tuæ tuam in me beneuolentiam nonnumquam declarent; plus abs te multo me amari arbitrabor. Vale.

P. Matthæo Vassaræ. Bononiam.  
Epist. V.

LITTERAS tuas Kalend. Iul. scriptas accepi, perbreueis illas quidem, sed suauis & amoris plenas: in quibus plus quam par est, atque ego dignus sum, mihi tribuis, nimio deceptus amore, non ueritate iudicans. quod si te non nouissem: putarem profecto me irrideri. sunt enim eiusmodi laudes, non cuiusuis, sed doctorum duntaxat, tuiq. similium propriæ. quibus tamen magnopere delectatus sum, quia (ut inquit ille) Placet laudari pater a laudato uiro; & tuæ sunt erga

## EPIST. LIB. III. 55

ga me beneuolentiæ testes. sed posthac, mi Vassaræ, ne ea mihi tribuas, quæ cum sustinere non possim, si quis tuo testimonio deceptus a me uelit exigere, ad te remittere illum necesse habeam. Vale.

F. Genesio Rosano. Romam.  
Epist. VI.

QVOTIDIE mihi Pontius tuus a multis cōmendatur, in primis a Iacobo Forerio, cuius in te obseruantiam iam pridem (opinor) cognitam habes. sed, mihi crede, tu unus absens plus apud me potes, quam sexcenti alij præsentis. nō enim tui sum immemor; neque tui similibus quid ab optimo quoque sit præstari solitum, ignoro. tamen, si quid & ad meum in te animum, & ad studium, quod in Pontium habeo, addi potest, quod fieri uix posse puto; uolo hoc etiam nomine cumulus accedat. Nosti me hercule quanti te faciam, quantum etiam tua causa Pontium ipsum amem; huius uero mei studij & amoris satis magnam mihi mercedem persolui puto; cum tibi gero morem, cum satisfacio, tuam duntaxat beneuolentiam assecutus. in qua conseruanda neque studio neque labori, nec denique ulli operæ parcam. tu tamen, quasi me nondum noueris, quasi

quasi amicitiam nostram ad commodum tantum referam meum, (nam ἐπιχοῦρειον est) aureum munus mihi misisti. annon, cum Pontium in disciplinam mihi tradidisti, unum me mihi persolui uelle pretium, & summum esse putare, predicti, beneuolentiam tuam, præterea nullum? itaque illud libenter tibi remissem; nisi essem ueritus, ne tua a me numerata paruifera, si minus accepissem, ipse putares. Vale.

Julio Quadrio. Tigurum.  
Epist. VII.

**T**E dilexi semper plurimum; sed litteræ, quas ad me peramanter scriptas dedisti, magni pristino meo in te amoris cumulum attulerunt, morum tuorum elegantiam & suauitatem plane significantes, cum animi in me tui propensione, ex natura tuæ bonitate magis, quam ex ullis meritis meis orta. qua de causa scito, me effecturum studio & diligentia, ut, quem tu ob affinitatis uincula tantum diligis, ob merita etiam & in te officia ames. De Gesnero non satis intellexi, quid uelis. ad illum mihi scribendum non puto, hominem doctissimum illum quidem, sed ab nostris moribus ac religione abhorrentem, mihiq. ea re non adeo probatum; neque tu ad hoc me uocare debes.

bes. immo si sapias ab illo ipse quam primum desces, ne corrumparis. Vale.

Cæsari Pusterlæ. Mediolanum.  
Epist. VIII.

**T**UÆ mihi litteræ (ne dubita) iucundissimæ acciderunt. quid enim a iuene omnium gratiosissimo mihi accidere non carum aut iucundum potest? mihi ergo tua scripta non afferant uoluptatem: quæ facilitatem tuam, & animi altitudinē, quam dicunt, clare loquuntur? nõ erat, cur meū iudicium formidarent: qui ut doctorum hominū scriptis maxime delecter; de illis tamen iudicare non soleo; uel minime possum. Sed illæ sunt, cum Attico stylo scriptæ, tum amanter: ad quas hoc præterea habeto, te a me semper amatum, inq. fratris germani habitum loco; hac & doctrinæ significatione & amoris erga me tui magnitudine, magnam ad pristinam beneuolentiam in te meam attulisse accessionem. Vale.

Francisco Croto. Mantuum.  
Epist. IX.

**A**MOR in te meus, atque obseruantia nullo modo augeri potest. quare tuæ litteræ ad eam

eam nullam accessionem attulerunt; sed uoluntatem in te meam ex splendore uirtutum tuarum conciliatam confirmarunt; humanitatis, suauitatis atque officij plenæ. scito enim me nullam tecum conditionem umquam & uiuendi & moriendi repudiaturum: tantum abest, ut me ullius in te studij & obseruantiaè panitere possit. Itaque ago tibi immortales gratias, quod te sæpe ad me scripturū polliceris. quod ut facias, non te quidem rogo, sed ut tuo commodo facias uolo & opto. ceterum enim cum tuas lego litteras, mihi uideor tecum coram loqui, quo nihil facio libentius; nolo tamen meam uoluptatem tuis commodis uel maximam anteferri. Vale.

Stephano Guatio. ad Montemferratam.  
Epist. X.

**A**UDIO summa quidem mea cum lætitiæ uoluptate, te librum de gentium moribus & institutis nuper edidisse. Eum librum quæsiui in omnibus bibliothecis, quæ hic sunt, sed non inueni. Itaque suspicor horum alterutrum, uel eius exemplaria huc non dum perlata; uel ipsum librum tuum abs te adhuc premi; quem, cum nonnulli abs te editum iri iam pridem intellexerint, nunc editum iam esse conijciant. si editus est, ob-

secro

secro te, Guati, per tuas uirtutes, ob quas omnibus, mihi in primis carissimus es, uti ne me diutius eo carere sinas. tam enim sum cupidus illius legendi, quam sum tuarum uirtutum æquus estimator. sin minus ille editus est, in hoc tamen incumbe, ut edatur; & refer in apertum ingenij tui excellentis monumenta; ex quibus ceteri capiant ad recte uiuendum documenta: quibus liber ille refertus sit, necesse est. Tum uero ipse tu, quod erit studij tui præmium longe maximum, nominis tui memoriam redde immortalem. impudenter fortassis facere uideor, qui hæc scribam, non tam consilij tui & prudentiæ, quam mei desiderij ducens rationem. Sed tuæ erit humanitatis meas litteras eo, quo profectæ sunt, animo accipere. Equidē quem uirtutis ergo plus amem & colam, quam te, neminem habeo. si hic amor in causa est, ut profecto est, uti hæc non necessaria scribam; tu etiam uel huius amoris, uel uirtutis nomine eadem ipsa minime necessaria, necessaria maxime putato. quod cum te fecisse cognouero, mei in te studij et propensæ uoluntatis uberimos fructus percepisse mihi uidebor. Vale.  
Mantua.

H

Ioanni

Ioāni Sermundo Sondalino. Mediolanū.

Epist. XI.

**Q**UANTO tui desiderio aestuem, uix credas, Sermunde. ad te dudum uolarem, nisi incidissem in febriculam assiduam & satis molestā. quamobrem ad te nunc scribo. Continenter, ut a te discessi, fuit mihi tui memoria retenta, propter studium in me tuum, & officia. nam ita existimo, uiri proprium boni esse, cum nequeas ijs parem gratiam referre, a quibus beneficium acceperis; eorum pie saltem inuiolateq. memoriam seruare. Vale.

\* . . Pro discipulis quibusdam.  
Epist. XII.

**T**E eleganteis conscribere epistolas intelligimus; atque tibi gratulamur; gratias etiam agimus, quod in eis rationes explicas, quapropter colloqui per litteras, cum coram non liceat, inter nos possimus. Sed tamen in eo officium abs te nobis, quam a nobis tibi præstari facilius posse, te scire uolumus. Tu enim familiarē domesticumq. magistrum nactus, qui patiat, te studium conferre ad scribendum, quidquid animo libuerit

buerit tuo, (nam ita rem habere tuæ litteræ declarant) ad nos etiam sæpe & facile scribes: nos uero, quibus est ille molestus, nihil dicere, nihil scribere audemus, quod ex Ciceronis libris, uel Terentio, uel Plauto, uel Cæsare (hos enim nunc solos legimus) non sit erutum. Sic ille nos uult ut assuefacti, quantum fieri potest, illis in scribendo similes euadamus. quod licet arduum (difficilia enim, quæ pulchra) ex aliqua tamen parte assequi speramus; si ab eo magistro propenso in hanc partem, uti capimus, excolemur. Nos, certe præceptorem nacti nimis diligentem, ne clā illo quidem quidquam non latine scribere possimus; cogimurq. eorum, quæ quotidie discimus, quam poscat, ei reddere rationem. recte quidē. qui cum enim melius de litteris agas, uel te exerceas, quam cum erudito magistro? Quod cum ita sit, uides, quid hoc in genere possimus. Enitemur tamen postquam illi satisfecerimus, nauare etiam tibi operam aliquando. De beneuolentia autem erga nos tua, etsi, quæ scribis, non fuerunt necessaria; quia numquam de illa dubitauimus: gratum tamen fuit audire. Nos uero in te amando parentibus tuis concedimus, præterea nemini. Vale.

Thomæ Sandrino. Casale.

Epist. XIII.

**T**uis me uerbis salutauit, quæ has tibi litteras reddidit, Laurentius Valla. quod mihi gratissimum fuit. mei enim absentis memoriam abs te retineri declarat. Etsi ita habeo persuasum, te, quo me cumque fortuna ferat hospitem, eadem semper erga me uoluntate futurum; id ipsum tamen a te ipso significari, quantæ me lætitiæ afficiat, uix possum dicere. Idem te, cum me hic esse habueris cognitum, daturum ad me litteras affirmavit. rogo te igitur, uti des hoc amoris in te meo, hoc est, ut, quod sponte tua eras futurus aliquando, quamprimum facias: nam, cum te mecum coram loquentem audire cupiam, id tuis legendis litteris mihi uidebor facere; præsertim, si ut præsentem sermonem soles, eas præstantis ingenij tui luminibus ornaueris. Ego totâ hiemem morbo difficillimo tentatus, ex quo nondum plane confirmatus sum, plura non possû scribere. Vale. Mantua.

Eidem. Casale. Epist. XIV.

**L**EGENDIS tuis litteris uoluptate sum incredibili persusus. cuius enim plus, quam docti

☞

☞ tui peramantis scriptis delectere? antea scripsi, mihi ita esse persuasum, te quocumque me conferam, eodem ergo me animo semper futurum, tuæ tamen litteræ, quod id ipsum declarât, ita me perstantem in sententia confirmarunt, ut; qui plus me amet, quam tu, credam neminem posse reperiri. quare facere non possum, quin ☞ de ista erga me amoris tui significatione agam tibi gratias, ☞ de pari in te beneuolentia mea certiore te faciam. sed quod scribis, te addubitare, num uerba sermones; quos mecum istic habuisti, liti fuerint, quemadmodum ego scripseram, ingenij luminibus; ita accipio, ut putem, te uel suspicari, me id tibi tribuere, magis ut palper, quam ut uerum dicam; uel submisse te gerere, ut, quæ ornamenta uirtutis in te sunt, ista demissione fiant illustriora. in humanitate enim clarescit uirtus. quorum in altero mihi iniuriam faceres, qui ex eorum numero me esse censes, qui sibi imperât, omnia absentari; in altero gratû faceres, quia, quæ in te bona insunt, cupio in dies clariora fieri, ut quibus tu præmijs ob illa dignus es, aliquando afficiare. quare putato me uere, ☞ ex animo arbitrari ea, quæ de te scribo. De mea autem ualitudine hoc habeto, me nunc ita ualere, ut cum optime: nisi corpus amissem. Vale.

H 3 Eidem.

Eidem. Cafale. Epist. XV.

**N**E tibi perspectam crebro uerbis iactem, & quasi ostentem beneuolentiam meam, quemadmodum faciunt, qui nullo argumento ad scribendum accedunt; cum erit aliud argumentum, commemoratione mei in te amoris supersedebo. Idem tu quoque, cum ad me scribes, non dubito, quin facturus sis. nam sensus tuos meis consentire mihi uideor habere cognitum, ut uidelicet existimes semper præstandam amicis beneuolentiã, non pluribus uerbis semper exponendam. Quod si deerit aliud argumentum, poterimus recondita consiliorum nostrorum inter nos communicare: sicuti tute homo grauis insit uisti facere; qui me ad ea hortaris, quibus sine neque honeste uiuitur, neque iter est in cælum, ubi beati sempiterno æuo fruuntur. quid enim ex tuis consilijs magis recõditum, quid in quo constans erga me uoluntas tua plus se ostendat, hac cohortatione expromere potuisti? Hoc uere est amare, hæc est certa amoris significatio, ea communicare, quæ maximo usui sunt. de quibus non reperio uerba, nec amor nos ter concedit, quibus tibi gratias agam. quamquam enim sponte mea incitatus eam uitæ rationem sequor, qua in primis pietas colitur; tamen  
ad

ad illius studium magis incendor, cum idem institutum mei amantissimis probari ac teneri uideo. Pergamus igitur uterque, uti cepimus, recta uia progredi, ut, quemadmodum coniunctissime uiximus; ita una in cælo uitæ huius laborum optatissimos fructus capiamus. Vale.

Eidem. Cafale. Epist. XVI.

**M**IRARIS, cur eas tibi laudes tribuã, quas (ut ais) alij non tribuant præstantioribus, quam tu sis, in laude ingenij; atque etiam pæne moleste fers. sed accipe. Ego non tam attendo, quid alij faciant, quam quid mihi agere conueniat; neque ex nomine magis, quam ex re, excellentes eruditione uiros, inter quos postremum tu locum non obtines, æstimo: quibus uiris qui honorem non habent meritum, mihi aut inuidiæ nomine suspecti sunt, aut quid sit honore dignum, nõ intelligere uidentur. qua ratione adducor, ut te cum alio honore afficere nequeam, quod queo, ornandi studium meum declarem. quod tu, quæ tua est humanitas, pro honore accipies: quo sane modo tuam bene faciendi mihi uoluntatem ego quoque in beneficij loco numero. Quod autem rogas, ut te sæpe certiores faciam, de rebus uel meis, uel amicorum, uel publicis; quoties in meis

## S. FOLIANI

erit, quod tua scire, aut mea scribere referat, non omitam. in publicis uero, cum nec forum, nec curiam attingā; nec mihi homini peregrino quid hic fiat, liceat inquirere: quid inesse scire possū? ex amicorum rebus, cum hic homo nouus nullos habeam, præter unum aut alterum, quibus tamē familiariter non utor, siquidem diuersum uitæ genus sequimur; nihil mihi argumenti datur ad scribendum. Verum tamen, si quantum quisque calamo & papyro utatur, ad tuendum officij munus interesse putas; semper scribam aliquid ad te, uel quid in buccam uenit, ne de tua in me beneuolentia quidquam mi uatur. Vale.

Cæsari Ferrario. Venetias.  
Epist. XVII.

**M**IROR te nullas dare litteras: qui discedentibus nobis te crebras scripturum pollicitus es. quid agis? oblectant ne te studia litterarum, uel Sigonij prælectiones tantopere, ut nostri obliuiscare? atqui studia ipsa, ut scribas uolunt. nam & ipsa scriptio studium est, & id quidem optimum. adde quod ex studijs memoria est, non obliuio. quod si nos tuis litteris indignos putas, ut hæcenus, sile; sin minus, scribe uel illud unum, te nolle scribere. ita cum nihil scribas

## EPIST. LIB. III. 61

bas, aliquid tamen uideberis scribere; & memoriam nobis & beneuolentiam, quam debes, præstare. Vale.

Eidem. Venetias.  
Epist. XVIII.

**I**NCREDIBILI uoluptate me tuæ litteræ afferunt, quod & sunt elegantes & tuum erga me amorem perspectum mihi quidem, sed tamen dulcem & optatum præ se ferunt. dum enim cessationis culpam in tarditatem tui transfers ingenij; & monitis te incitatum meis litterarum frequentia moram omnem correcturum promittis, cum testificatione tui in me amoris, adeo magni, ut mei memoria ex tuo animo nunquam excidat, nihilq. sit tibi meis litteris gratius; hæc omnia tam amanter & ingeniose tractas, ut neque me a quoquam amari, quam a te, magis; neque tuis quidquam litteris ingeniosius posse fieri, persuasum habeam. Quamobrem hac tanta beneuolenti a tua dicar indignus, ni dederò operam, ut intelligas, me in te amando nemini concedere. sed quod significas, te ex scriptis meis fructus capere non uulgares; si fructus dici possunt iucunditates illæ, quibus perfundimur ex amicorum amoris in nos testificatione, profecto litteræ meæ,  
in

in quibus mei in te amoris inest significatio, fructum tibi magnum adferre possunt: sin litterarū fructus is uere est, cum ex eis exempla ad imitandum præclara sumuntur; tu hercule uel nimio amore deceptus, uel humanitate, qua summa præditus es, adductus iucunditatis loco fructum ipsum ponis, atque pro illo hoc nomen usurpas. Ego uero, si ex tua eleganti epistola magnum me cepisse fructum dixero, parum dicere uidebor, cum is sit maximus. nam cum primum ex obitu fratris mei summo dolore affectus die ipsa ac consuetudine eo iam leuari uiderer; tum deinde soror moriens pristinam animi mei curam et angorem auget: tua uerbis elegantissimis atque amantissimis scripta epistola, qua mihi adhibuisti consolationem, non solum ueterem illum dolorē, sed hunc etiam nouum uehementer consolata est. Itaque tibi ago gratias, quantas possum, maximas. Vale.

Eidem. Venetias. Epist. XIX.

**C**VM nihil minus hominis sit, quam in amore non respondere ijs, a quibus prouocaris; nō potui a te prouocatus non declarare epistola mea proxima superiore, quam te diligerem, uel, ut ἐμφοτικώτερον dicam, te amarem. in quo faciendo,

do, quia te æque, ac meritis es, atque ingenue laudauī, modestiæ fines me non transiisse, existimare par est: tu tamen animum induxisti, id ex animo a me non fuisse factum, dicere; sed ex quadam amoris abundantia, quæ sæpe (ut tuis uerbis utar) garrire solet: quasi amor efficiat, ut fite & simulate loquamur. Sed crede præstantibus morum magistris, qui docent in amicitia, quæ ex amore nominata est, nihil ficti, nihil simulati, omnia uera & sincera inesse. Verum si tu sensu tuo meum metiens, me amori plus, quā ueritati, tribuentem, laudes in te æquo maiores contulisse iudicas; mihi persuaseris, te priorem in me laudando modū non tenuisse, & fictis etiā laudibus lusisse: quamuis alioqui tuum animum ex meo spectans, me a te ob amoris in me tui abundantiam, non propter meritum meum, fuisse candidè & ex animo laudatum existimem. Proinde horum alterutrum concedas necesse est, uel a me te sincere laudibus elatum; uel abs te in me fictas collatas fuisse. De quo tamen utcumque ipse statueris, quoad uiuam, te amabo; atque, non ut mutuo facias, quoniam facis, sed uti pergas, te uehementer rogo. Vale.



Petro Pergulæ. Tiranum;  
Epist. XX.

**N**VMQVAM putavi uenturum, ut, cum tu mihi negligentiam litterarum saepe obijceres, tuæ desiderandæ essent. in quo tamen non te accuso; nec de beneuolentia erga me tua uenit mihi in mentem quidquam imminutum fuisse existimare. nam cum tu, quando nullæ meæ ad te litteræ dabantur, ne tantillum quidem de meæ in te beneuolentiæ & uoluntatis constantia dubitaueris: qui possum de tua sine scelere secus iudicare? Cessandi enim a litteris plures & honestæ causæ esse solent; & si aliqua etiam intermittendi litterarum culpa est, eam conuenit utriusque nostrum esse communem. Quamobrem neque adhuc plus a te, quam a me peccatum fuisse; neque ab officij religione aliqua in re declinatū puto: nisi nunc fortasse uis a me pœnas sumere reticentiæ olim meæ; ut uidelicet tamdiu tuis litteris caream, quam tu diu sine meis fuisti. Sed ne id quidem a te, quæ tua est clementia, posse fieri, animum induco. Fortassis litteræ tuæ non perferuntur, licet scribas: atque utinam idem nō euemat in meas. Itaque posthac curemus uterque, ut ille dentur certis hominibus, qui perferant.

Quod

Quod si nihil erit, quod necesse sit scribere; utamur illa clausula, qua antiqui solebant, illi etiã, qui sapere uidebantur: si uales bene est. hanc enim unam ad me longissimarum instar carissimam habebo. Vale.

Eidem. Tiranum. Epist. XXI.

**N**IMIS iam diu mihi uideor in expectatione esse tuarum litterarum; istudq. silentiū diuturnum immutatæ uoluntatis tuæ suspicionem mouet nonnullam. quod enim ad binas uel ternas meas, ne litteram quidem rescribis, cum crebro soleres scribere, & me interdum etiam de negligentia accusare; alienati a me animi tui conficis significationem. Si te illa epistola, (aliud autem diuinare non possum) in qua de ratione inter nos missitandi litteras leuiter a te dissentiebam, forte fortuna offendit; uehementer sane doleo; neque te ullo modo offensum uelim. Caue enim putes, me ex ulla re posse dolorem eo maiorem capere, quem ex hac, quæ mihi facis, suspicionem accipio; & tuis mihi litteris quidquam accidere incundius. Tantum apud te, qui cum mihi sit tanta necessitudo, quid sentirem, testatum esse uolui; ut si id tibi displiceret, tuum tamen iudicium liberum esset; non, ut contra te, cuius auctoritatem

tem

S. FOLIANI  
tem & doctrinam plurimi facio, meam opinionem  
tuerer. quare obsecro te, ut pristinam & conser-  
ues uoluntatem erga me tuam, & teneas scriben-  
di ad me consuetudinem; nec mihi grauiorem,  
quam par inter nos & mutua beneuolentia pati-  
tur, constituas pœnam. quam enim graue mole-  
stumq. sit, absentium amicorum colloquio, hoc  
est, litteris, carere; tu nunc facis, ut intelligam.  
quod si me animus fallit, & tu negotijs (quod ma-  
lim) potius, quam ulla animi tui offensiuncula,  
es impeditus, quo minus ad me scribas; id, ut  
potero, feram, quoad a negotijs tantum detur  
otij tibi ad scribendum, ut omni hac suspitione me  
liberes. interim tacitus suauissima tui memoria  
delectabor. Vale.

Eidem. Tiranum Epist. XXII.

QUINAS dedi ad te litteras, quarum ternæ  
Latine, binæ populariter loquebantur,  
cum tu nullam ad me litteram. Scribe, amabo  
te, aliquid: unde sciam, ut ualeas, ut tuam er-  
ga me pristinam uoluntatem conserues. suspicor  
enim nescio quid ex isto silentio. quod si tam es  
mihi iniquus, ut, ne legitimam quidem excusa-  
tionem cessationis olim meæ accipias; dabo ope-  
ram, ut misericordiam aliquando cogaris expo-  
scere,

EPIST. LIB. III. 64

scere, quam mihi impartitus non fueris. sed a-  
moto ioco: a te cupio scire, primum de te ipso,  
tum num meas superiores acceperis. si non acce-  
pisti, mittam earum exempla: sin accepisti. sed  
propediem, ut spero, uidebo te. Vale.

Ioanni Caio. Mediolanum.  
Epist. XXIII.

F RATER meus tuas ad se litteras mihi legen-  
das dedit; in quibus salus erat abs te mihi  
adscripta. earum lectione magnopere delecta-  
tus meum duxi, has ad te dare, ut intelligas, me  
in conseruanda tui memoria fratri meo esse parē.  
sed uerba mihi desunt, quæ numquam defutura  
existimaui. quare paucis rem exponam, sic ta-  
men, ut plane perspicere queas uoluntatem meā.  
Ego, quo primum tempore in tuam me dedi con-  
suetudinem, morum tuorum suauitate mirifice ca-  
ptus, statim te inter eos habere statui, qui a me  
amarentur. ad hunc amorem ipsa consuetudine  
diuturna is postea accessit cumulus, ut neminem  
te ipso plus amem. quo autem in me animo sis,  
cum ex litteris ad fratrem meum tuis cognoue-  
rim; te etiam atque etiam rogo, eum uti uel amo-  
ris in te mei, uel tuæ constantiæ causâ, perpetuo  
conserues. Vale.

An-

Andreas Antonino . Mantuam.  
Epist. XXIV.

**N**OSTRAM amicitiam, nuper conglutinatam Hieronymi Vgolini testimonio, ueteris apud me, atque multis annis & perpetua consuetudine confirmatae locum habere uelim existimes. quid enim mihi, tui similibus uirorum studioso, amicitia tua potest esse antiquius? sed quia haec a me ueritate in primis colenda est; sic habeto: Vgolinum amore erga me deceptum nimio, tibi ista pro me spondidisse, quae si me roges, necesse habeam, ad eum te remittere, ut pro me dependat. nam, ut facile, quae eius ingenij uis est, in animu cuiusque penetret, et qua sit uoluntate perspiciat; de me tamen amore plus, quam ueritate iudicauit: quamquam quae de tuis uirtutibus praedicat, ea ipsum minime comminisci, ex tuarum litterarum ornata & perpolita oratione habeo cognitum. Itaque primum & tibi, qui fidem amico meo habueris, & illi, qui mei amore deceptus sit, gratias, quantas possum, maximas ago; deinde utriusque polliceor, me non, ut tu officij parteis suscepisti priores, & ille tantum mihi tribuit, quantum nec agnosco, nec postulo; ita in amicitia nostra colenda & fide & beneuolentia praestanda poste-

posteriores laturum. Plura in hanc rationem scriberem, nisi te, quod cupere uideris, prope diem essem uisurus. Quare in id tempus illa reseruo, interim conquicturus in tuo amore, & in elegantia & suauitate tuarum litterarum: quas saepenumero sumo in manus, curas, quibus iam pridem conficior, depositurus omneis. Declarant enim te non solum omnem Latini sermonis, & rerum copiam consecutum fuisse, sed in hac suauitate humanitatis, qua prope iam omnes delectantur, periucunde uersari. Vale, & Vgolinum a me saluta. *Voltae.*

Eidem. Mantuam.  
Epist. XXV.

**N**ON dum dies luctum leuarat, quo me fratris filij, quem familia columen illa reliquerat moriens, interitus affecit, cum tuae mihi litterae redditae fuerunt; ut, cum mea in te beneuolentia tuae erga me pariter aequaliterque responderet; accurate tamen cogitateque scribere non possem. nunc autem aegritudine ipsa humanae conditionis meditatione eleuata, diligentius epistolam legi tuam, eiusque generis iudicauit esse, ad quam non festinanter & conturbato animo, ut feci, sed hilari, & ἐπὶ σχολῆς rescribendum fuerit. quod  
I enim

enim te amor impulit ad me ut dares litteras, in quibus ea eleganter & copiose collegisti, quæ ad instituendam amicitiam nostram pertinebant: an non & ad respondendum spacium sumere, & pleniores litteras ad te dare, me oportebat? Sed, ut dixi, in luctu & squalore cum essem, huic officio non potui satisfacere. accedebat etiã illud, quod facilitatis magnitudo, quæ in tuis litteris elucet, spem afferebat, te mihi ueniam daturum, uel potius habiturum gratiam, si in tanta animi mei perturbatione prudentiam a te litterarum mearum maluissem, quam amorem desiderari meum. Proinde, licet amicitiam inter nos conciliatam uirtutis opinione, quam uterque de altero nostrum imbibimus, his litteris, & quacumque mea prædicatione non indigere sperem; malui tamen ipsis scribendis ineptus uideri, quam te uel minima de officij mei parte dubitare. atque ut ad eam tuæ epistolæ partem (nam a me, cum litteras superiores scribebam, prætermissa est) ueniam, in qua me mones, uti caueam, ne institutam pulcherrime (tuis uerbis utar) fundatamque firmissime, id est, in uirtute amicitiam ullo casu labefactari posse putem: hæc equidem unam semper ueram & iucundissimam existimaui, quæ numquam euertitur, quæ morum similitudine & uirtutis opinione coniugata perennis seruetur. quam ob  
causam

causam Vgolino nostro plurimum me debere confiteor: qui dum ea de me prædicat, quæ tam multa non sunt illa quidem, sed esse, uel cupit, uel amore deceptus putat; te in eam opinionem adduxit, ut tuam ad me beneuolentiam deferendam putares: quam non dubito, quin, etiam si me longe ab ea laude, quam ille mihi tribuit, abesse aliquando cognoueris; uel humanitatis uel constantiæ causa sis perpetuo conseruaturus. meam certe certo iudicio in te susceptam tam diu nauabo, quam diu uiuam. Vale. Voltæ.

Eidem. Mantuam.

Epist. XXVI.

QVAM multa hominibus præter uoluntatem eueniant, non te fugit, Antonine, qui rerum usum multarum habes. hæc ille moderate fert, in quo ea inest, quæ in aduersis placide ferendis uirtus uersatur. sed ut uirtuti huic laudem, quæ uera debetur, tribuendam existimem; ut ceteras ego quoque miseras, quibus opprimor, humaniter feram: periniquo tamen animo patior, esse factum, ut quo tempore Mantuam ueni, tu abesses. Cum amorem tibi meum præsens præsentem cuperem patefacere, ut uix ferrem desiderium, essetque eius faciendi omnis mihi præcisa spes, nisi

I 2 ante

ante uidiſſem te, quam in patriam meam reuer-  
 terer: Patauio, quo cum Guerrerijſ meis iuerã,  
 rediens iſtac iter feci; ubi cum te non inuenerim,  
 quanto dolore ſim affectus, noli quærere. Cur  
 (inquier) me non expectaſti, dum redere? equi-  
 dem biduum exſpectaui, & expectaſſem diutius:  
 niſi muli, quos cum capſis meis præmiſeram, nõ  
 ſine periculo amittendarum rerum omnium, ſi po-  
 ſtridie eos conſecutus non eſſem, me Mantua in-  
 uitum extruſiſſent. quo die, cum ancilla domi-  
 tuæ ſola (ut aiebat) relicta nihil ſe de tuo redi-  
 tu certi habere diceret, diſceſſi; Dominicum Bo-  
 teſinum, qui iſtic ludum habet, quod ſcirem tibi  
 amicũ eſſe, (nam Vgolinus noſter non aderat) de  
 mea profeſſione uti te doceret, etiam atque  
 etiam rogauit. Quare etſi hic ſum, & hæc abſen-  
 ti a me tibi ſcribuntur; ſcito tamen, me tum uo-  
 luntate illa, quæ ex amore fluit, apud te eſſe, &  
 coram agere; tum in tuis litteris, quas aſſidue  
 lego, te loquentem audire, mihi uideri, atque  
 ex earum oratione, quaſi ex uultu & oculis ani-  
 mi ſenſum paullo certius indicantibus, de tuo in  
 me animo & uoluntate iudicare. Idem de me  
 quin tibi uſu eueniat, ne dubitem, facit illa, quæ  
 in tuis litteris eſt, tui in me ſtudiij declaratio.  
 quod ſi fit, illud etiam ſequetur, ut, quoniam no-  
 bis una eſſe, & eum fruſtum, qui ex adſpectu

&

& præſenti ſermone percipitur, capere non licet,  
 aut mittendis crebro inter nos litteris proximũ;  
 aut pari accipienda & reddenda uoluntate, qua  
 ubique conuinſti eſſe poſſumus, æque magnum  
 ſimus percepturi. neque uero, quod ad curam  
 & diligentiam ſcribendi, de qua agis in extrema  
 epiftola, pertinet, debes putare, me uel adeo inĩ-  
 quum, ut, cum in epiftolas conijciam, ut uides,  
 quod in buccam uenit, & minus laborem, quam  
 inter ſe uerba cohæreant, te uelim plus induſtriæ  
 ponere in ſcribendo; (quæ enim intemperantia  
 eſſet, me tibi imponere neceſſitatem earum rerũ,  
 quas ipſe, cum in primis debeam, præſtare non  
 poſſim?) uel tam imperitum, ut ex tuis litteris  
 non intelligam, te cum orationis lenitate & ele-  
 gantia grauitatem & maiestatem, ubi uelis, poſ-  
 ſe coniungere: quamuis mea ſcripta extollas; tua  
 ualde deprimas. quod autem flagitas, ut ad te  
 ſapiffime ſcribam; & te uiciſſim ſcripturum ad  
 me promittis; non committam profeſſo, ut, quia  
 ego ſubtilitati & elegantiæ tuorum ſcriptorum  
 facile cedo, tu me etiam frequentia litterarum  
 ſuperes. Vale, & Vgolino noſtro ſalutem.

Burmij.

Ioanni Petro Marchifonio. Mediolanum.

Epist. XXVII.

**A**MICOKVM commodis & incommodis  
æque ac nostris nos affici, non est mirum,  
si, ut est apud Euripidem, Κοινὰ γὰρ τὰ τῶν φί-  
λου. ab hinc triennium istuc me contuleram, meo-  
rum tuiq, in primis uidendi gratia. ubi cum Fa-  
britium Forerium de te percōtatus intellexissem,  
bonarum artium scriptores & doctores publice  
interpretādi munus tibi Senatus consulto assigna-  
tum fuisse; magnopere lætatus sum; continuoq.  
ad tuas ædes properaui, ut & pristinam meam  
tui uidendi cupiditatem explerem, & quantam  
ex isto S. C. lætitiā cepissem, præsens præsenti  
declararem. at in ipso uestibulo puer tuus mihi  
nuntiat, te tota nocte febris iactatum, minime in-  
terpellandum esse. quo nuntio conturbatus ita di-  
scessi, quo me rerum mearum rationes impelle-  
bant, ut mororem ipsum non deposuerim, quoad  
te amissam ualeitudinem recuperasse sum factus  
certior; dedi. q. ei de re ad te litteras, quarū exē-  
plum cum his accipies: suspicor enim perlatas nō  
fuisse. nam etsi longo locorum interuallo disiu-  
cti multos annos fuimus, ut non sæpe neque tuæ  
ad me, neq. meæ ad te litteræ commearint (non  
enim

enim necesse fuit) ego tamen eo in te animo sem-  
per fui, ut, cum usus uenisset, tibi omnia mea  
prompta & parata essent; atque eam fidem &  
beneuolentiam præstarem, quam nostra uetus  
amicitia, tui suauissimi mores, & mea de tua pro-  
bitate & ingenio opinio, ac iudicium postulasset.  
Neque dubitavi unquam, quin tu, cum intellige-  
res a me tantopere te amari, beneuolentiam in  
me iam diu susceptam conseruare uelles. quare  
nunc nactus, qui se istuc peruenturum affirmet,  
has ad te dare litteras uolui, constantis meæ in  
te uoluntatis testes, Vale.

Petro Pergulæ. Tiranum.

Epist. XXVIII.

**A**VGÆAE stabulum purgem facilius, quam  
hæc negotia explicem. nam ut magno for-  
tiq. animo sim, in mentem tamen mihi uenit, ue-  
reri, ne onus sustinere possim. ita omnia nexu  
iuncta obligataq. sunt, ut si ea persequi uelim, ne-  
cesse habeam, tantum damni facere, quanti res  
uniuersa faciendæ non est. Tuis litteris sum re-  
creatus, quæ me adducunt, ne quid constituam  
de accipiendâ hic conditione, nisi te prius con-  
suluero. Itaque Nonis, uel circiter ad te reuer-  
tar, ut coram tecum agam de omnibus: quæ ea-

dem caussa quo minus scribam me impedit, quæ tibi uidelicet fuit impedimento, ne litteris committeres. Vincentium fratrem tuum, ac Cornelium meum, reliquosq. domesticos omnes saluta meis uerbis. Vale. Barmij.

Eidem. Tiranum.

Epist. XXIX.

**H**ERI ad populum & de ludi magistro, & de me retinendo latum fuit. itaque Comitibus habitis, cum fieret discessio, intercessione tribunorum res in hodiernum diem dilata est; ut de lectum Concilium (ut uocant) decernat. Sed mihi renunciatum fuit, eo rem adducta, ut ex ærario tria sestertia, & ab priuatis duo, mihi curentur annua: quam summam pecuniæ conficiunt, aurei nummi CXXV. Hoc te doctum uolui, quo statim quid consilij des, perscribas. Ego sane eo redire malim, unde profectus sum, quam huiusmodi conditionem accipere nostris studijs indigna. Nonis istuc proficisci constitueram: sed ea negotia me impediunt, quorum gratia in primis huc, urbem relinquens, concessi: quæ impedimenta ubi superaro, ad te ueniam. Vale.

Eidem.

Eidem. Tiranum,

Epist. XXX.

**S**CRIPSERAT ad me Cornelius nosler, te exrenibus laborantem ad me litteras dare non potuisse. quæ res animum meum ualde perturbauit. sed repente, nec opinato nuncio, quem Franciscus Curtius attulit, salutis & incolumitatis tuæ, & summo dolore ad summam letitiam ductus sum. Itaque Deo omnipotenti maximas, uti debeo, ac meritas gratias ago. Quoniam igitur tibi ualetudinem restituit Deus opt. max. tuæ & uirtutis erit & diligentia, posthac eniti, & efficere, ut illam uictus tui ratione tueare & custodias; ne, cum alijs præscribas, & adhibere curationes solitus sis, te ipsum curare nescire, ut malus medicus, uideare. me autem, qui te diligo, bonis de te nutijs quotidie afficere debes. id quod mei te memoriam conseruare, & in beneuolentiæ fide parem mihi esse, significabit, rerum omnium, quæ abs te mihi possunt accidere, gratissimum & iucundissimum. Vale. Mediolani.

Hieronimo Montio. Epist. XXXI.

**N**ON essem ausus, sapientissime Monti, homo tibi incognitus, has litteras scribere; nisi

nisi quemadmodum uirtute affecisti, ut ista summa, ad quam peruenisti, amplitudine dignus iudicarer, ita humanitate, quæ uirtutum omnium lumen ac decus est, te præditum singulari esse, mihi persuasissimum esset. natura enim ita fert, ut, quo quisque maiori ingenio est, maioremque auctoritatem habet, eo sit facilius, & quod in alijs difficillimum est, cum grauitate maior est iunctam humanitatem habeat. Neque uero, quamuis ijs laudibus, quas tibi omnes merito tribuunt, inflammatus, iam pridem te colam & obseruem; induxerimque animum, si umquam facultas data mihi fuerit, meam in te obseruantiam declarare: hæc in præsentem scriberem, pudore prohibitus dicam, an timore? sed & pudorem hunc meum, seu timorem maioris, uincit necessitas, & ad id faciendum occasio data me prope modum impellit. Cum Ludouica Septala, quæ tecum non solum beneuolentia, sed maximis uinculis & propinquitatis & affinitatis coniuncta est, in disciplinam mihi suos liberos uelit tradere, modo se id tuto, recteque facturam intelligat; hanc ad te scribendi, pristinaque meæ in te obseruantia declaranda causam argumentumque aude arripui; non ueritus, ne non, uti meam ad te beneuolentiam ego cum summa defero obseruantia, cui pariter æqualiterque non respondere non potest amor tuus;

ita

ita tu, quæ tuæ naturæ bonitas est, me completa re, meaque. si qua mihi inest, industriæ ac studijs faueas; atque demum, si dignum iudicaris, cui tam nobiles adolescentes Ludouica mater committat, eidem me de meliore nota commendes. Vale. Mediolani.

Maffeo Pyrouano Epist. XXXII.

QVOD me tibi meorum scriptorum aliquid impertiturum hesternò die sum pollicitus, quam stulte fecerim & incaute, non ante animaduerti Pyrouane doctissime, quam a te digressus sum. Studium enim & ardor ille, qui in me est, satis tibi faciendi, fecit profecto, uti non satis in præsentia considerarim, mea ne eius generis scripta essent, quæ tibi uiro doctissimo possent probari. Itaque ubi domum recepi me, sumptis illis in manus, cæpit promissorum me pœnitere, uel pudere potius: quibus non steterem, nisi eis me teneri, & tamquam uoti cuiusdam religione, obstrictum esse putassem; nisi etiam essem confusus, te, quæ tua est humanitas, maiorem mei in te studij & obseruantia rationem ducturum, quam scriptorum meorum. quorum partem hanc, quæ prima mihi in uoluendis illis occurrit, ad te dedi: quam ubi legeris, ad me sartam (ut dicitur) & rectam



teſtam ut remittas, te uehementer rogo. Vale.  
Mediolani.

Alexandro Panigarolæ.

Epist XXXIII.

**V**T has ad te litteras darem duæ me res in primis hortatæ sunt, Alexander; affinitas, qua cum Fabij Vicecomitis filijs deuinctus es; & ista suauitas humanitatis, in qua periucunde uersaris. Etsi enim te & olim adolescens adoleſcētem, ob eam, quam animo de futura probitate tua imbiberam, opinionem plurimum dilexi; & iam ob uirtutem ipsam, qua perfecisti, ut Rex Hispaniarum Philippus opt. max. te isto munere, quo fungeris, præclaro dignum existimauerit, sum moperere colo & obseruo: hoc tamen tempore ego tibi scribere hæc ausus non fuiſsem. nam tum iste magistratus, quem summa cum laude geris, tum ea doctrinæ studia, in quibus subciuium tempus omne consumis, ne te interpellem, satis me monere uidentur. sed illa, de qua initio dixi, coniunctione affinitatis ad scribendum adducor, uel potius impellor; quod, cum uxoris tuæ fratres adhuc iuuenes filiorum loco habeas; teq. illi parentis loco habeant: duxi meum esse, cui in disciplinam illi traditi sunt, tibi cum beneuolentiam, quæ  
ad

ad te olim detuliffem tacitus, hinc oblata mihi occasione declarare; tum polliceri, me daturum operam, primum, ut, quæ a me tibi in amplissimo dignitatis gradu locato obseruantia debetur, ea numquam desit; deinde, ut æqui & iniqui intelligant, ipsos adolescentes diligentiori in optima quæque & non dediscenda tradendo, quam mihi, nemini committi potuisse. quin autem & huius meæ in te obseruantia, & studij atque amoris in leuiros tuos tibi grata declaratio accidat, ne dubitem, tu ipse facis. Alexander humanissime, quo neminem commodiorem, comiorem, moderatiorem esse ad omnem rationē humanitatis prædicant omnes. quare ne longum faciam, quando meam in te obseruantiam & studium & amorē in hos mihi commissos adoleſcenteis nobiles, te nō aspernari confido; a te hoc etiam rogo, ut, cum huc ueneris, eos ipsos tui amantiſſimos hortere ac moneas, uti persuasum habeant, Virtutum omnium, in Deum omnipotentem pietatem, esse fundamentum; qua una consulatur saluti nostræ; tum magnam quandam uirtutem, & præcipuum hominis bonum, obedientiam esse; cuius utilitas ac uis tam late pateat, ut ne minime quidē actiones, quæ honestatem sequantur, eius uacent officijs. ad hæc enim quamuis illi promptissimi uideantur esse; tua tamen hominis grauiſſimi atque  
ami-

amicissimi cohortatione erunt multis partibus  
alacriores. Vale.

Lælio Montalerio. Mantuam.

Epist. XXXIV.

**S**UPERIORIBVS diebus ad te dedi litteras,  
Seo sermone scriptas, quo vulgo homines utun-  
tur: ex quibus intelligeres non solū de statu meo,  
sed de mea etiam constanti in te uoluntate & ob-  
seruantia; ut, cum cognoris, me ea spe frustra-  
tum, qua rerum mearum domesticarum in melio-  
rem partem uertendi & mutandi, domum profe-  
ctus eram; tu de eo etiam, quod mihi te in animo  
habere dixeras, egoq. tibi in optatis mihi esse, re-  
sponderam, statueres. Verum cum nihil rescri-  
beres distentus & publicis (quod non me fugit)  
& familiaribus negotijs, Crotus noster tui obser-  
uantissimus adscripsit, te, cum ceteri, quos ad  
eam rem socios adsciturus eras, in sententia non  
permanerint, solum tantum oneris suscepturum  
non esse. Itaque accepi eam conditionem, quam  
tempora tulerunt, primarios hic adolēcentēis  
quosdam priuatim docendi: hoc animo tamen,  
ut, cū uos uti opera mea uolueritis, huic pro meo  
in te studio, singulariq. obseruantia, adde etiam,  
pro tuis erga me meritis, quamcumque condicio-  
nem

nem aliam sibi posthabiturus. Noli enim puta-  
re, me, quoniam gratus & probus esse uolo, ul-  
lius commodi mei, quam officij, maiorem ratio-  
nem posse ducere. atque utinā tua uirtute digna  
tibi cetera contingant, ut mea opera studium &  
industria, quantulacumque est, mea denique  
omnia ad tuam uoluntatem parata semper erūt.  
Quid multis opus est? in manu est tua & quid  
a me praestari tibi uolueris, & quid pro te uelim  
facere, aliquando experiri. non fallam, mihi  
crede, si quam habes de me, opinionem bonam.  
Vale, & uxori tuae ac liberis, praeterea si nō gra-  
uaris, collega tuo Antonio Calloro, quem

et amo, salutem a me pluri-  
mum. Mediolani.

S. FOLI ANI EPIST  
LIBER QVARTVS.

Octauiano Ferrario:  
Epist. prima.



**V**IRTUTE, quam comes laus con-  
sequitur, conciliari amorem,  
unde quæ ut uera iustaq. est, sic  
permanens & iucunda amici-  
tia manat, non te fugit Ferrar-  
ri doctissime: ipsius uero amo-  
ris cum uim esse maximam, tum fructum iucun-  
ditatemq. maiorem sentiri. Cum olim Venetijs  
Manutium, Rasarium, & permultos alios omni  
doctrina & uirtute ornatissimos homines, hic etiã  
Cicereium & Marchesonium tuos, & si pateris,  
meos etiam, sæpe audirem multa & honorifice  
& grauius de te prædicantes; incredibili persua-  
sus uoluptate ad tui colendi & amandi studium  
sum incitatus uehementer. Sed quia in me ni-  
hil est, uel sane minimum, quod in tui commodis  
emanare possit, præter unum animum & egregiã  
uoluntatem, cum ceteri, qui ad te beneuolentiã  
deferrent, fere & ingenij & fortunæ bonis afflue-  
rent omnes, ut, quod ego uoluntate dumtaxat, id  
illi

EPIST. LIB. IV. 73

illi re tibi ipsa possent præstare; non nihil mihi  
molestiæ adpersum est; & pudore ac uerecun-  
dia, quam amo, ad te adire, meumq. animum  
coram declarare prohibitus, tacito te, ut ita di-  
cam, cultu & amore prosecutus sum. Nunc au-  
tem liber, quem de Exotericis sermonibus non  
ita pridem editum abs te, præstantis litum inge-  
nij tui luminibus, & legi sæpius, & quasi no-  
uum in manus identidem sumo; ad pristinum stu-  
dium in te meum tantam accessionem attulit, ut  
diutius mihi imperare non potuerim, quin, si præ-  
sens præsentem alloqui minus auderem, has saltim  
litteras mitterem: (nõ enim erubescit scriptura)  
quæ primum hoc, quidquid est animi in te mei te-  
starentur; deinde a te impetrarent, ut, quoniam  
ex tua consuetudine, quam non humanitas tua  
(summam existimo) sed pudor, & ratio, quam  
duco, tuarum occupationum mihi claudit, fructus  
ferre nequeo: librum tuum de disciplina encyclo,  
quem in lucem multis ab hinc annis prolatum au-  
dio, sed non inuenio uenalem, mihi uel describen-  
dum, si fieri poterit, uel legendum commodares.  
hoc si feceris (ut facias te etiam atque etiam ro-  
go) Optime Ferrari, cum eius humanitatis, qua  
præditi qui sunt, quanto superiores sunt, tanto se-  
gerunt submissius, neque tenuiorum amicorum  
in se beneuolentiam contemnunt, maximum erit  
K argu-

## S. FOLIANI

argumentum; tum ad animi mei fructum, atque  
 letitiam multo maius accidet: quippe cum, cuius  
 uiri ingenium admiror, uirtutem nomenq. colo,  
 eius scriptorum ulla parte, & amoris omni fru-  
 ctu, sine dolore summo, carere non possim. Vale,  
 & utilitatem studiosorum augere, quod facis,  
 perge, cum tua gloria. Mediolani.

Andreas Antonino. Mantuam.

Epist. II.

**A**MORIS & benevolentiae causas non tam  
 usu, quam animo & uoluntate teneri, fere  
 existimant omnes, qui ad conciliandum amorem  
 quanta sit uirtutis uis, intelligunt. ego certe qui-  
 dem ita sentio, cuius amoris uirtus causa sit, quae  
 amicitia ex eo amore manet, eam ex animis con-  
 stare. quamquam enim magni refert, inter quos  
 amor exortus est, ad eam necessitudinem consue-  
 tudinem quoque accedere; ut cum ex animorum  
 consensu, qui in ipsa consuetudine cognoscitur,  
 maxima uoluptas; tum ex adspectu & praesenti  
 sermone fructus multo maior percipiatur: quan-  
 do tamen ad hunc, qui animi est proprius, fru-  
 ctum amicitia referenda est; non uideo, quid im-  
 pediat, quo minus etiam corporibus disiuncti ho-  
 mines, quos uirtutis fama & opinio ad amicitiam  
 ille-

## EPIST. LIB. IV. 74

illexit, animis coniungantur, & ex pari accipien-  
 da & reddenda uoluntate magnum fructum & la-  
 titiam percipiant. Te mecum sentire, nisi me tua-  
 rum litterarum fallit hypothesis, habeo explora-  
 tum. Itaque non dubito, cum princeps ad con-  
 iungendam inter nos beneuolentiam uirtutis opi-  
 nio fuerit, ac quaedam sensuum similitudo, quae in  
 nobis esse, non ex usu (nullus enim intercessit) sed  
 ex studio & intimi sensus interpretibus litteris  
 fuit cognita; quin, quemadmodum non potest ac-  
 cidere, ut haec causa, qua amare cepimus, um-  
 quam tollatur; sic ipsam beneuolentiam ita con-  
 seruemus, ut neque ullo loci uel temporis spatio  
 animos in ea nostros languescere; neque memo-  
 riam illius ulla obliuione deleri sinamus. quod  
 quidem litterarum bono si utemur, facile assecu-  
 tuos nos non diffido. quam in sententiam plura  
 pridie Kal. Mart. ad te scripsi; sed litteras non  
 fuisse perlatas suspicor, quia nullus rescribis.  
 quare cum his illarum exemplum mitto; rogoq.  
 te, ut me de tuo statu, de quo aueo scire, dili-  
 gentissime facias certiore. sed de meo prius ac-  
 cipe. Frustratus ea spe, qua in melius commu-  
 tandi res meas domum eram profectus, huc me  
 recepi: ubi quosdam adolescentes nobiles erudio:  
 si rem spectes, uili; si tempora, satis magno. quod  
 pluris faciendum est, ueterum amicorum Cicerey,

K 2 Mar-

## S. FOLIANI

Marchesonij, & Vbaldi Gherardij (nostri opinor, cum studiosorum utilitatem magna cum laude iam diu publice docendo augeant) consuetudine fruor: Humanitatem, doctissimi Ferrarij, de quo multa honorate Manutius tuus, summam erga me obtineo; nec a Baldino, ac Villanowan omeo ullum mihi pietatis officium deest, ut aliud mihi nunc in mentem optare non ueniat, præter conuietum tuum: quo quoniam carendum est, dabis hoc nostræ coniunctioni, ut sæpe purissimo & elegantissimo tuarum litterarum sermone me oblectare possim. Vale, & Vgolinum iube saluere meis uerbis. Mediolani.

Petro Pergulæ. Tiranum.

Epist. III.

**I**AM diu nullas inter nos missitamus litteras. Tu Pergula in facienda propinquis & amicis medicina otium consumis, ut magnam etiam noctis partem uigiles; ego otio minime abundans si te occupatum interpellem inanibus præsertim litteris, facere uidear, quod ab utriusque nostrum dignitate alienum est. Superioribus temporibus hoc in genere fui frequens, quod rerum mearum ita rationes ferrent. postea nihil habui necesse scribere. nunc autem mihi licere petere abs te  
per

## EPIST. LIB. IV. 75

per litteras existimo, ut, cum mecum sentias in amicitia colenda, non multum requiri, quantum quisque calamo & atramento utatur; memineris tamen amoris hoc in te meo dare, ut longo iam tandem interuallo ex tuis litteris de tuo statu intelligam. quod ut libentius, uel officij religione quasi obligatus facias; accipe prius de meo. Ego tertio ab hinc mense a Vicecomitibus discessi, quia impuri cuiusdam hominis odio in me, (quid in me dicam? cum uiros bonos improbet omnes) promissis non starent; & ita me locauit hic, ut si Burmienses conductum me uelint, utilitas dissuadeat quidem discedendum; amor uero reliqua omnia post habenda. præferenda enim patria est omnibus. res illorum mandato agitur per \* \* \* qui qua in me sit uoluntate dicere non possum. Valeo, ut cum optime. Tu quoque uale, & tuos omnes meis uerbis saluere iube. Mediolani.

Pyrrho & Vitelliano Vicecomitibus.

Epist. IV.

**E**O ingenio sum nobilissimi adolescentes, ut illorum, quos ad meam amicitiam adiunxi, nullo tempore obliuisci possim. quo fit, ut ex quo a uobis iniusto hominis a litteris & uirtute alienissimi odio (quod uos non fugit) fui auulsus; non

K 3 solum

solum uestri memoriam non deposuerim; sed uestris etiam malis uehementer laborarim. Videbam enim discessum meum uobis maxime fraudi esse: propeerea quod in tanta hominum; quibus uestri similes tuto committi queant, paucitate, neque Aurelij uestri, uiri alioqui in hoc genere diligentissimi, nec alius cuiusquam opera, antequam animus uester in ipsis studijs, quorum rationem me duce inieratis, elangueret, (plerisque id etatis adolescentibus hoc usu uenit) nacti ad ea bonum magistrum essetis. sed cum tandem, ut non ita pridem intellexi, uirum intelligentem uobis adsciueritis, qui dicere ac facere ad Homericis Phenicis exemplum doceat, cuiusmodi certe uobis quidem opus est; tantam cepi letitiam, quam animus meus potuit capere; egiq. de ea re, & uestro & meo nomine Deo opt. max. gratias maximas. Cuius mei gaudij testes, quando presenti cum presentibus agere non licet, has ad uos dedi litteras: ex quibus illud praeterea certum haberetis, me & esse & semper eodem in uos futurum animo, quo me esse, tum ego saepius, cum uobis operam darem, declarauit; tum uos ipsi bene cognitum habuistis. Valete.

Pri-

Primo Comiti. Epist. V.

QVAM sit laboriosum, quam etiam pretio dignum, erudire pueros, uulgo non est satis cognitum, Prime Comes doctissime; tibi uero homini magno rerum usu praedito, & ijs, qui ad hominum uitam quae inde manant commoda intelligunt, id tam est exploratum, quam quod maxime. Itaque cum die hesterno Calcorum Academiae nomine mecum de premio ageres; ego, quod mihi tecum rem esse putarem, non pluris me docturum sum pollicitus, quam necessaria rerum mearum rationes postulant. Verum in sermone postea iniecasti, te ex aequo & bono constituturum. Ea res, ut ingenue fatear, animum meum uehementer perculit. Etsi enim minimum, quae tua est aequitas, deduxeris; illa tamen deductio mihi egentissimi maximum damnum datura est. Quare te rogo, Prime optime, uti des operam, ne, si me libentius & diutius eo fungi munere uelis, uel potius ipsius Academiae procuratores uelint, quidquam de summa minuatur. Vale.

Auiano Saluio. Epist. VI.

QVANDO in primo congressu nostro, atque in sermonibus illis, quos inter nos habuimus

K 4 mus

mus; tuos cum meis sensus consentire sentiebam, quod uidelicet in amicitia colenda nihil fucatum aut fictum, sed simplicia apertaq. omnia debere esse diceres; cœpi te statim diligere, mi Auiane suauissime. postea uero cum in consuetudine is mihi cognitus sis, quem uel inimicissimi probent; non te diligo (lene enim hoc uerbum uidetur) sed amore amo singulari. quamobrem te etiam atque etiam rogo, primum ut, quoniam utilitate amicitiam uiri boni non metiuntur, & ego ob rerum mearum tenuitatem nihil præter beneuolentiæ fidē possum præstare, hac una, quæ a me tibi semper præstabitur, contentus sis, huicq. amoris in te meo respondeas: deinde, ut illi homini, de quo besterno die egisti mecum, de meliore nota me commendes. Quod si feceris ad mutuam beneuolentiam nostram illud accedet, ut, quæ utilitas amicitiam consequitur, & qui fructus ex ingenio gratoq. animo percipiuntur, ijs omnino carituri non simus. Vale.

Ioanni Andreae Trizano.

Epist. VII.

**L**IBENTER tibi respōdeo, Trizane, a me quaerenti, quomodo sit respondendum ijs, qui in Ciceronis libris Rhetoricis non admodū uolutati, dubi-

dubitant, num recte Rhetorici libri ab ipso auctore inscripti sint; propterea quod in eorū proœmio, cum inquit, Ac si uolumus huius rei, quæ uocatur eloquentia, siue artis, siue studiij, siue exercitationis cuiusdam, siue facultatis a natura profectæ considerare principium. &c. ambigere uidetur de Rhetorice, utrum ars sit, an studium potius, siue exercitatio quædam, siue facultas a natura profecta. quod si uerum esset, illud etiam sequeretur (inquiunt) ut, quia librorū inscriptio debet esse nota eorum, de quibus in ipsis libris agitur, ne ipsa quidem inscriptio de Inuentione Rhetorica apta & conueniens sit: quando ipse auctor, cum dubitarit, quid id sit, de quo acturus erat; respondentem operi suo notam apponere non potuerit. Verum ibi Cicero de arte non dubitat. cum enim probe sciret dicendi facultatem a natura profectam, studio exercitatione & arte perfici; & eo tantum loco uellet principium eloquentiæ ex honestissimis causis natum, atque optimis rationibus profectum ostendere; non ex sua, sed aliorum opinione, quorum alij eam artificij esse, alij studiij, siue exercitationis cuiusdam, alij ipsius a natura profectæ dumtaxat facultatis putarent, locutus est; ut interim illis omnibus satisfaceret, quacumque illi re eam comparari existimarent, dum suam proferret sententiam

tiam. Postea uero, quia instituerat de Oratorijs præceptis dicere, quæ aliorum opinioni concesserat, & quasi disiunxerat, ea tandem in unum collegit; ut non modo natura & exercitatione cõfici, sed artificio etiam quodam illam contineri statuerit. Quod cum ita sit, tantum abest, ut libros de Inventione Rhetorica male inscriptos esse, & de Rhetorice in dubium Ciceroni uenisse, utrum ars sit, possit a quoquam erudito homine dubitari; ut quiuis Latini sermonis gnarus ex ipsa præfatione intelligat, & ipsos libros recte fuisse inscriptos de Inventione Rhetorica, quæ ars nimirum docet rationem bene dicendi, & ipsis libris scripta inest; & Ciceronem non modo eloquentiã arte studio & exercitatione comparari; sed Rhetoricen ipsam artem esse, minime omnium dubitasse. quod ipsum cum in multis alijs libris suis, tum in De Oratore ad Q. Fratrem sub Crassi persona & Antonij summorum Oratorum cõfirmat. Hactenus ad illam quæstionem. Scribenti mihi hæc tuæ litteræ redditæ fuerunt: in quibus quod amorem in me tuum, quod te eloquentia præstare, & mihi, quid putes agendum de ea re, de qua heri inter nos locuti sumus, significas; ualde te amo. reliqua coram tecum melius. Valc.

Eidem.

Eidem. Epist. VIII.

QVONIAM superioribus diebus, cum ueramur, in eum sermonem incidimus, ut diceremus, non dubitandum, quin Oratoria facultas, quemadmodum epistola superiore scripsi, arte studio et exercitatione quadam comparetur; factum est, ut aliud ex alio, sicut in colloquijs fieri solet, de artis fine nobis argumentum dicendi nasceretur. De quo cum tibi mecum non conueniret, nec in præsentia institutum sermonem persequi per occupationes liceret; putavi nostris studijs & amicitia non alienum hæc ad te scribere; ut uel ex eo maxime intelligas, quanti te faciam, quod ea tecum communicem, quæ si emanent, & ijs, qui in aliena scripta detrahendi studio incurunt, minus probentur; in dubiam existimationis aleam sim iturus. Memini igitur, cum diceres, Rhetorices finem horum alterutrum oportere esse, uel persuadere, credo ex Aristotelis sententia, uel ex Quintilianii Bene dicere: me eorũ neutrum esse statim respondiße. Nam primum, quod Aristoteles (ingrediar ad explicandam sententiæ meæ rationem) Rhetoricen uim, inquit, esse quandam artificiose persuadendi in una quaquere; non huic arti finem, sed Oratori officium, tra-

dita



dita ab effectibus & sine definitione, assignauit: deinde, quod Quintilianus eam esse Bene dicendi scientiam, ac finem ipsius Bene dicere statuit; uidemus, ut quæ oculis cernuntur, (tanti uiri pace dixerim) Oratoriæ facultatis quod est, huic arti tribuere. Cum enim Rhetoricæ ars sit, quæ docet uiam & rationem de una quaque re bene dicendi; finis eius necessario est, Docuisse bene dicere. officium enim finis consequitur. rursus cum teste, uel auctore potius, Cicerone, Oratoriæ facultatis officium sit, appositæ ad persuasionem dicere; finis persuadere dictione: quid causæ est, cur Rhetoricen aliam ab Oratoria facultate, & huius officium & finem ab illius & sine & officio diuersum esse, non dicamus? Quod autem Rhetoricen artificiosam eloquentiam interpretantur, duæq. res pro una a Graecis sumuntur; uel potius confunduntur; id recte fiat, necne, ipsi uiderint: certe non efficiunt, ut duas res unam & eandem esse, uel earum naturam ipso nomine mutatam putemus. siquidem aliud non est, artificiosa eloquentia, quam facultas dicendi siue a natura profecta, siue studio & exercitatione comparata, cui Rhetorices usus accesserit: quæ ars est, uti dicebamus, Bene dicendi uiam & rationem docens; quemadmodum, quæ illi respondet, Dialecticæ Bene differendi. In quo Fabius sibi non constat; quip-

quippe qui alias Oratoris summam, aliàs Rhetorices finem, Benedicere asseuerat. Proinde, ne morer te pluribus, sit Rhetoricæ, uti censeo, ars docendi ea, quæ ad Bene dicendum pertinent; finis eius bene instituisse Oraturum: Oratoriæ uero facultatis officium, apposite ad persuasionem dicere; finis Persuasisse dictione; quemadmodum Ciceronem, qui officio finem annectit, uidemus sentire. Hæc si tibi satisfacisse cognouero, magnum huius studij mei fructum uidebor percepisse: sin minus, me tamen non multum pigebit, in quo mihi facultas defuit, declarasse uoluntatem. Vale.

Ioanni Iacobo Botatio. Cafale.  
Epist. IX.

**N**VMQVAM ex quo a nobis discessi, tui ac ceterorum amicorum, in primis Magnocaballi, Guatij, Sandrini, & Caninæ, sum oblitus. qui enim si gratus & uir bonus sim, eorum, qui me omnibus officijs prosecuti sunt, memoriã possum non retinere? ad te nihil litterarum quidem, neque ad Magnocaballum, neque ad Caninã dedi, propterea quod nisi de rebus meis domesticis, in quibus nihil non miserabile & luctuosum inerat, amissis duobus mihi carissimis, Eratre & fratris filio; uoluisssem scribere: præterea nullum argumentum

mentum dabatur, afficere autem tales amicos molestia, in quo mearum miseriarum leuamentum non erat; uel inanibus litteris interpellare, hoc quidem ineptum, illud uero inhumanum etiam existimaui. ad Guatium & Sandrinum binas, summum ternas, in quibus tibi salutem adscripseram, me scito dedisse; quod ita usus ueniret, & illis potius, quam tibi homini id ætatis, respōdendi onus imponendum uideretur. Sed nunc, cū Villonouanum communem amicum de te percontatus, non solum tibi recte esse, ut uolumus, sed eum ad te scripturum certior factus sim; & lætatus sum uehementer, & amicitia nostra alienum non putauit, in eius litterarum fasciculum meas conijcere: ex quibus intelligas, mihi animi dolore, & magnis iniurijs perturbato; tui tamen & ceterorum amicorum, ut initio dixi, memoriam esse propositam. Vale.

Ludouico Caninæ. Casale.

Epist. X.

**N**EQVE negligentia, neque obliuione factū est, Canina suauissime, ut ad te, quem unice diligo, nihil hætenus dederim litterarum. his enim tam absum uitij, quam uiri boni horrent ingrati animi crimen. Dum Mantuæ fui, quo me  
istuc

istuc concessisse non te fugit; nihil in rebus meis erat, quod ad te scriberem; obstrepere autem tibi ualde occupato inanibus litteris me nō decuit. postea domum reuocatus ad ordinandum rerum mearum statum, earum rationes ita conturbatas offendi, tantum in eis negotij habui, ut diutius inusitatis rebus obniteni, ipsarum abijciendi curam, & huc redeundi necessitas tandem imposita mihi fuerit. Eo animi dolore consternatus, adde etiam quotidianis hisce docendi laboribus additus, cum nihil nisi acerbum litteris possem committere; earum officio supersedendum duxi, quoad ipsa die labor quasi callum dolori obduxisset. Itaque in præsentia ægritudine paullum eleuata, etsi necessitudines non tam usu & litterarum missione, quam uoluntate teneri habeo persuasum; (nam illud Πολλὰς φιλίας ἀπροσρηγορία διέλυσεν; in uulgaribus locum habet, non in eis, quæ, uti nostra, sunt in uirtute fundatæ) mihi tamen fuit faciendum, ut te aliquando de meo statu docerem; & rogarem etiam, uti de tuo uicissim me certio-rem faceres. Hoc enim ex te nihil mihi neque incundius, neque gratius accidere poterit. Vale, & communibus amicis Magnocaballo Guatio & Sandrino salutem plurimam meo nomine dices. Mediolani.

Ioanni

Ioanni Mariæ Agathio. Parmam.  
Epist. XI.

**Q**UAE de tua singulari tum doctrina, tum probitate iam pridem audio, in tui amorē atque cultum me impulerunt, doctissime atque optime Agathi. uerum quo minus id tibi hætenus declararim, pudor in primis meus impedimento fuit. te enim talem uirum eius rei gratia interpellari, ex qua nihil in tui commodum emanare posset, putidum ne uideretur, sum ueritus. nunc etiam eius faciendi necessitate propemodum mihi imposita, non audeo ad te adire; malo scribere, ut, cum me tibi notum epistola fecerit, ipse mihi, quem clausit pudor, eum, quæ tua erit humanitas patefacias aditum. non enim dubito, quin cum omnibus uirtutibus præstes, humanitatis, quæ illarum decus & lumen est, parteis feras maximas. Cum igitur Auianus Saluius mihi significauerit, te ex Rainutiij Gambaræ intimis esse consilijs, atque ab eo etiam maximi fieri; Rainutius uero ipse cupiat me conductum ad erudiendum eius filium Brunorum: neque meo in te amore, neque tuo in Rainutium studio sum ratus alienum; te de eo, quod possim efficere, antequam istuc ueniam, docere; ut, si forte difficul-

tas

tas aliqua afferatur & meæ Rainutio præstandi operam uoluntati, & illius in me conducendo rationibus; ea tollatur per te incommoditas omnis. quod perficies, si, qua apud illum auctoritate uales, tum ex eius amplitudine rerum, tum ex mearum tenuitate constitueris. non enim possum committere, ut contra & rem & existimationē meā, deteriore apud Rainutium, quam adhuc alibi, cōditione uiuam. Sed te Agathi humanissime, in commune uti consulas, etiam atque etiam rogo. Ego certe dabo operam, ut, cum doctiores ad eā rem deligi potuerint; neminem tamen me diligētiorem reperiri potuisse, aliquando uos fateamini; ac de meo studio & diligentia Rainutius Pater & Brynorus filius gratias agant tibi, qui rationem inieris, quapropter illis operam darem. Beneficij autem in me tui memoriam nulla umquā temporis longinquitas in me delere poterit. Vale.

Rainutio Gambaræ. Parmam.  
Epist. XII.

**N**EMO est, qui bene, si sit ingenuus, audire non uelit, & hunc benefactorum fructum honestissimum non putet, Præstantissime Rainuti; pauci tamen id assequuntur, ut bene audiant, quia bene facere, unde illud quasi a fonte manat, pau-

L ci

ti possunt. Est enim tum singularis & probita-  
 tis & sapientis, tum perfecta cuiusdam faculta-  
 tis bene facere. Itaque multi quærent, cur qui-  
 dam principes uiri, & ij quidem, quorum neque  
 in probitate sapientiam, neque in his ceterarum,  
 quibus actio uitæ continetur, rerum facultatem  
 requiras, bene non audiunt? istis soleo responde-  
 re, primum si male à malis audiunt, id illis non  
 minus, quam cum a bonis audiunt bene, laudi  
 dandum esse: (ab improbis uituperari ac laudari  
 a probis, in pari atque eadem laude ponitur) de-  
 inde si a bonis audiunt male, id cõsiliariorum uel  
 eorum, quos sui imperij ministros habent, legibus  
 & iudicum auctoritate ad quæstum & libidinem  
 abutentium culpa accidere. ut enim male faciãt  
 ipsi, fieri non potest. De quo, cum nihil cuiquam  
 in uita præter culpam præstandum sit, tantum ha-  
 beo necesse dicere; diligentem & summam cau-  
 tionem huius incommodi esse, si sapientum consi-  
 lio, & bonorum opera, quoad eius fieri potest,  
 ad omnia utantur. Hoc tu uides, & hanc rebus  
 tuis adhibes cautionem prudentissime Gambaræ:  
 qui nõ solum honoris nomen familiæ tuæ propriũ,  
 quod maiores tui clarissimi homines (litteris enim  
 proditum scio) ex bene factis adepti sunt, tibi de  
 manu, ut dicitur, in manum, quasi hæreditariũ  
 traditum, diligenter tueris: (nam de Patruo tuo  
 Fran-

Frãcisco Gambaræ Cardinali amplissimo quæ pos-  
 sum dicere, huius epistolæ angustia non capit )  
 sed cogitationes in hoc etiam tuas confers, ut Bru-  
 norus filius tuus, puer summa, ut audio, ingenij  
 indole præditus, quam uirtutis laudem gloria cõ-  
 sequitur, qui cursus ad eam laudem aperitur, eũ  
 tui imitatione eruditus teneat; quo, cum ætatis  
 maturitas uenerit, recte factorum fructu iucun-  
 dissimo ipse ne careat. Macte uirtute amplissime  
 Rainuti; perge, ut facis, & tui facti exemplum  
 ceteris quoque tui ordinis hominibus ad imitan-  
 dum propone. Hæc in præsentia non tibi quidem,  
 sed mihi ad eam, qua ad scribendũ impellor, caus-  
 sam prope modum necessaria. Auianus Saluius  
 beneuolentia et studiorum similitudine mihi con-  
 iunctus se accepisse litteras a te mihi dixit, in qui-  
 bus declares, te cupere, operam a me dari docen-  
 do ipsi filio tuo; atque promittere, me apud te stu-  
 dium male nõ positurum, itaque ille me hortatur  
 ad id muneris obeundum. ego uero per has tibi  
 litteras, quæ mea est in te obseruantia, studium  
 polliceri meum, uolui; ut si uerum hoc est, quod  
 Saluius mihi nuntiauit; & tu in eo rationem uis  
 ducere meæ tenuitatis: mature hic res constitue-  
 re meas que am, ac uenire ad uos; sin minus, me  
 tamen in eorum, qui te maxime colunt & amãt,  
 numerum adscribendum putes. Cum enim bene

audire quidem, ut initio dixi, paucorum hominum sit, quia bene faciendi summa difficultas est; eos uero paucos colere & amare omnes debeant: te Gambaræ familiæ principem uirum, & bene audientem, cum alio non possim, hoc officij genere non prosequi, & meum etiam in eo studium, in quo possum, oblata præsertim a te ipso mihi occasione, non declarare, nequeo. Vale.

Ioanni Mariæ Giesio. Papiam.  
Epist. XIII.

MAGNA uis est amoris eius, quem uirtutis opinio conciliauit; maior uero, cum inter quos is exortus est, in eis uoluntatum, & studiorum summam esse consensionem in consuetudine cognitum fuit. unde illa, quæ nisi in bonis esse non potest, amicitia ortum ducit, summa & perpetua: cuiusmodi nostram opinor esse. Amoris huius uim cum sepe alias sensi, tum hoc tempore experior, Giesi mi: qui, cum illis molestijs, quas iam pridem non mea, sed aliena culpa, contraxi, istic dum eram, & tua consuetudine fruebar, releuari cœpissim; simul ac discessi, sic eisdem afficior, ut quemadmodum, qui in morbum deintegro incidunt, grauius ægrotant, dolorem meum magis dolere non possim. Quapropter te rogo, ad

me

me litterarum des aliquid: ex quibus, tamquam ex uiuo capite tuo, & tui imagine, aliquid exoptata capiam uoluptatis. Cum enim Mediolani in primo illo congressu nostro, quod eisdem, quibus tu, me delectari studijs cognouisses, ita etiam sis complexus, ut ardentiori id studio fieri non potuerit; mox Ticini nihil prætermiseris, quod ad me iuuandum pertinere intelligeres: annon studium eiusmodi tuum in me adferre magnam dolori meo consolationem debuit? an non item litteræ tuæ absentem me leuabunt? quin etiam, animi ingenii cum sit, cui (ut ait Cicero) multum debeas, eidem plurimum uelle debere: non uereor abs te petere, ut nō solum, quam ad me iuuandum sponte tua contulisti, uoluntatem perpetuo conserues; sed quocumque fieri modo potest, eam augeas. quod facies, si me quam sapissime de statu tuo certiore feceris. Equidem si tibi meas litteras nō iniucundas fore cognouero, non committam, ut meum scribendi officium desideres. Demus uterque operam, ut, quoniam alter alteri, quæ coram præstari, et possunt, & solēt, præstare nequimus; hoc incommodum epistolarum frequentia sarciamus. Vale, & Ferrario, & Rasario communibus amicis salutem meis uerbis plurimam. Casale.

L 3 Eidem.

Eidem. Papiam. Epist. XIV.

**A**MICITIA nostra, quæ studiorum simili-  
tudine nuper conglutinata, ueteris apud me  
locum habet; postulare uidetur, ut Hieronymo  
Bottigellæ tui, ut ait, studiosissimo istuc redeun-  
ti ad te dem litteras. Scito igitur, me hic ludū  
aperuisse, & bene sperare: tametsi plerique hic  
omnes rerum cupidi nouarum optima quæque ci-  
to fastidire solent; & nouissima uel deteriora pri-  
mis anteferre. sed ut res se cūque habebit; quo-  
cumque fortuna me hospitem feret, te semper cū  
incunda tui in me studij & beneuolentiæ memo-  
ria feram in oculis. Tu pariter, qui mihi in amo-  
re nō respondere non potes, nisi, qui es, esse desie-  
ris; fac me de tuis rebus quam celerrime certio-  
rem. nam allatus de grassante peste nuntius ita  
me sollicitum tenet, ut cumulus ad pristinas mo-  
lestias maximus accesserit. Vale, Ferrario &  
Rasario uiris doctissimis, atque nostri amantissi-  
mis salutem. cum Capra tuo pone me in gratiā.  
quod cum feceris illum meo nomine salutabis.  
Hierum ac sepins. Vale. Casali.

Pro

\* . . . Fro amico litterato, sed curis  
& senio confecto. Epist. XV.

**N**ISI mihi, ut ceteris omnibus, esset cogni-  
tum, te de studiosis bonarum artium ad be-  
ne merendum maxime propensum esse Serenissi-  
me Dux; nisi etiam illud constaret, te non minus  
a uirtute ornamentorum, quam a fortuna habe-  
re, ut humanitate, quæ uirtutum omnium decus  
ac lumen est, a nemine uincaris: has profecto lit-  
teras ad te dare ausus non fuisset. quamquam  
quis ad Principem omnium optimum nō scribat?  
quis ab eodem iusta, quæ sunt, petere dubitet?  
Anni xv. amplius sunt, cum in hac tua urbe iu-  
uentutem publice doceo, annuā ex tuo fisco mer-  
cedem capiens, illam quidem æquam laboris &  
studij mei, sed ad alendos domesticos paruam.  
Itaque quas horas ceteri ad relaxandum animū  
ex negotijs eripiunt, eas ego ad acetum quadam  
nemini alij, (quod sciam) nota ratione ex fugien-  
ti uino faciendum consumo, alijs etiam non mihi  
solum rem utilem facturus. quæ res ita mihi ex  
animi sententia successit, ut eius operæ studijq.  
me nequaquam pœniteat. Verum non ita pridem  
quidam uel inuidia uel exemplo meæ industriæ  
ducti, ipsi quoque ad eam rem animū adiecerūt;

L 4 &amp;

& ab Illustrissimo Præsule \* . . qui nunc tuam  
 hic vicem supplet, impetrarunt; ne quisquam  
 præter se unos in hac ditione tua acetum neque fa-  
 cere, neque iam factum possit uendere; mihiq. nõ  
 solum illius confectiõne, sed uenditione fuit inter-  
 dictum. quamobrem ipsa fretus in studiosos om-  
 nes tuæ uoluntatis propensione, atque singulari  
 probitate & humanitate, ob quas tam bene au-  
 dis ab omnibus Dux opt. max. ad te confugio, opẽ  
 tuam imploro, te etiam atque etiam rogo & ob-  
 secro, uti decretum illud, quod uerbo tenus in  
 omneis, re autem ipsa in me unum factum est, cũ  
 nemo antehac eam artẽ calluerit, aut adhuc exer-  
 cuerit; tua æquitate sic temperes, uti si minus ace-  
 ti conficiendi, confectum quod iam est, uenden-  
 di saltem Illustriss. Præsul, quem honoris causa  
 nomino, & colo, amoq. uti debeo, potestatem mi-  
 hi dare uelit. Hoc enim nisi impetro, de re mea  
 actum est familiari: qui quidquid hac docendi la-  
 boriosa prouincia, & parce & duriter uiuendo  
 sum consecutus, ad eius aceti conficiendi rationes  
 contuli; quiq. ex illius uenditione duabus filiabus  
 Virginibus uiro iam maturis pecuniam in dotem  
 eram daturus. Sed te summa probitate ac clemẽ-  
 tia uirum, & principem maximum & \* . N.  
 quo uno nomine iusta nemo non impetrauit; ius-  
 tissimas præces meas irritas non passurum, per-  
 suasissi-

suasissimum habeo. Sic te diu nobis, liberosq.  
 tuos tibi seruet incolumes, ac fortunet imperium  
 Præpotens Deus.

Io anni Baptista Rainoldo Præsidi Senat.  
 Mediolani Epist. XVI.

**E**X duobus malis cum alterutrum caueri non  
 potest, minus eligendum esse; nemo est, qui  
 nesciat: in eiusmodi tamẽ deliberatione plerum-  
 que fit, ut iudicium, non uoluntas deesse uidea-  
 tur. id mihi hodie ne contingat, ita uereor, ut  
 numquam alias magis. P. Paullus Folpertus se  
 tibi eo sermone, quem tecum nuper habuit, mei  
 uidendi commouisse desiderium, mihi in presen-  
 tia significauit; meq. ut te adeam etiam hortatus  
 est: ego uero, etsi non dubito, eum in illo sermo-  
 ne plus tibi, quam præstare possim, quamq. a-  
 gnoscam; de me (qui est eius in me amor) fuisse  
 pollicitum; nec satis constituere possum, utrum  
 melius sit, me pudori meo consulere latendo, an  
 amicissimo homini Folperto, tibiq. cui nihil pro-  
 pemodum (quæ tua auctoritas est) negari a quo-  
 quam potest, me morem gerere adeundo ad te: id  
 tamen faciendum duxi, in quo si forte facultas  
 mihi defuerit, uoluntas saltem mea uobis satis-  
 faciendi probetur. Itaque has præmissi litteras:  
 quæ

quæ non solum mihi tuum adspectum atque iudicium reformidanti, quasi aditum ad te patefaciant, sed etiam tibi me indicent, & quasi ante oculos ponant. Vale. ex Academia Taegiana.

\* . . . Episcopo \* . . amici nomine.

Epist. XVII.

**P**OSTEA quam mihi renuntiatum fuit, te Episcopum esse factum, magnopere sum letatus. quid enim mihi optatius contingere potuit, quam uirum doctissimum, meiq. amantissimum eam dignitatem adeptum esse, quæ non sibi solum, sed suis omnibus ornamento & commodo in omni uita futura sit? atque faciendum mihi erat, ut huius meæ lætitiæ aliquam absens significationem tibi darem per litteras: sed cogitantem in primis, eiusmodi indicia amoris a plerisque dari non tam uere & ex animo, quam simulatione amicitia, & inani ostentatione; tum ipsa nostra necessitudo, quæ istiusmodi adminiculis non nititur; tum tuæ omnibus notæ occupationes a scribendo me retraxerunt. amo enim uerecundiam, & præstantium uirtute & dignitate uirorum facilitate abuti hominis esse impudentis existimo. Sed nunc meum pudorem uincit necessitas, & me ad petentis nõ solum gratulantis officium tandem faciendum impellit.

pellit. Itaque primum tuam tibi dignitatem gratulatus, sicuti debeo, eam tibi nobisq. omnibus tuæ fidei tutelæq. traditis salutarem felicemq. ac Deo, quod caput est, placentem opto: deinde supplex oro, ut pro tua in tuos clericos charitate, quorum in numerum iam diu ascriptus est filius meus, hunc ipsum theologiæ studijs operam nauantem filium meum (quam enim a rebus domesticis imparatus sim ipse probe tenes) uelis adiuuare: facile autem adiuueris, si in Marcelli Lucensis Canonici, qui non ita pridem obiit, locum suffeceris. Ego uero pro tanto tuo in filium meum beneficio, tibi polliceor illum, quantum studio opera & industria poterit eniti, effecturum, ut neque in eo fungendo munere partes eius desideres; neque illum ipsum totum ad tuam uoluntatem, optimi uidelicet atque sanctissimi pontificis, unquam non paratum habeas. quam certe sponsionem ut pro se facerem uerbis amantissimis ad me scripta epistola, quam ad te mitto, a me præcatus est. Vale.

Annibali Cruceio. Epist. XVIII.

**D**IV est, Crucei doctissime & optime, cum te illorum adscripsi in numerum, quorum uirtuti & scientiæ me obseruantiam debere arbitrarer.



rer. De multis enim audieram, et ipse ex scriptis tuis cognoueram, te ad antiquorum laudem proxime accedere, & quod in plerisque desideratur, Christiani hominis sapientiam præstare; ac quod me ad doctissimorum hominum Ferrarij, Cicerij, & Marchesonij amicitiam cõtuliffem; eosque opinione, quam doctrinæ & integritatis tuæ haberent, ac singulari quodam amore adductos facere uiderem, ut te mihi honorifice & quam sæpiissime suis in sermonibus nominarent: fieri nõ potuit, quin te, cuius diu antea studiosus fuerim, eorum etiam, quos plurimi facerem, & iudicio & amore commotus ualde amarem; ac cuperem hanc mei in te animi propensionem tibi esse cognitam: Verum quod uidebam, cum nihil in me esse, uel sane minimum, quod ea persona, quam tu sustines, dignum sit; tum eiusmodi amoris indicia tui similibus ab ijs tantum dari solita, qui se efficere, quapropter (ut ita dicam) redamentur, posse confidunt: hæc certe, cur tibi meum amorem atque obseruantiam celat. esse paterer, causa fuit maxima. proxime autem, cum inter me & Marchesonium longus sermo haberetur, quia eo die primum, ex quo in urbe hac pestilentia est, conueneramus; & ego de tua summa humanitate maximisq. in se officijs (nam instituti sermonis ratio ita postulauit) loquentem illum audirem:

rem: ea sum oratione admonitus, ut tuam mihi beneuolentiam colligerem; nec dubitarem, quin me uel amicorum communium, de quibus initio dixi, uel amoris & obseruantia meæ, uel etiam humanitatis tuæ causa libenter esses complexurus. Itaque non solum Marchesonium rogavi, ut tibi significaret, sed ipse uolui scribere id ipsum, de quo ne præsens tecum agam, mea quadam ue recundia impediatur: me uidelicet eorum, quos tibi excellens uirtus tua conciliauit, nemini in te colendo & amando cedere, licet ceteris in rebus facile concedam omnibus. Vale.

Ioanni Mariæ Giesio. Papiam.

Epist. XIX.

CUR te hoc nomine non appellem nescio, præsertim cum latinæ formæ uox etiam patrio sermoni respondeat: illud non placet, Ab Ecclesia, nisi ommissa præpositione Poplicolas, Galbas, Scrophas, & reliquos id genus imitemur. Tu tamen uideto, quo me posthac uti uelis; cum admonueris inuitus non faciam. Casali cum eram, binis litteris non longo interuallo scriptis, qui status meus esset, declarauit; petijq. a te, ut me uicissim doceres de tuo: ad quas quia non responderes, ne quid tibi humanitus accidisset, ita propter

tristes

tristes nec uarios de peste nuntios ueritus sum, ne magno in mœrore uersarer. Postea a Cicereijs fratribus cum apud te esse, ut uolumus, intellexerim, uehemēter lætatus maximas Deo opt. max. gratias egi, & quod meis litteris nō rescriberes, uel eas tibi non redditas, uel si essent redditæ, cui tuas dares, non fuisse; uel etiam si dedisses, in tuas euenisse, quod in meas, suspicatus sum. id enim negligentia tribuere, tuum mihi cognitum ingenium non patiebatur. Itaque illarum exempla mitto, non eo quidem, ut necessitatem, quoties a me litteras acceperis, rescribendi tibi imponam (nimis putidum esset) sed ut significem nihil a te his temporibus, cum de Juorum quemque salute sollicitū esse oportet, gratius mihi posse accidere, quam optima quæque de te nunciantes litteras. De me autem sic breuiter habeto: ad Academiam Taegianam, quæ est ad D. Simonis, uocatum Sestertia IIII, annua capere, uictus præterea necessarius, quo licet tenui deleeter, ut paruo contentus, ad meum tamen arbitrium præbetur. qua conditione, si diutius uti potero, a uanis Liguribus quod discesserim, me non multum penitebit. Vale.

P. Paulo Foliano. Epist. XX.

**H**oc a me postulas, ut ad te dē aliquid litterarum, quod nostri quasi pignus quoddam amoris sit. Videris tu quidem sic statuere, cum

amorem

amorem ad aliquid aliud, quod extra sit, tamquam adminiculum adniti; tum meum in te animum non dum satis tibi cognitum in consuetudine nostra quotidiana fuisse. quorum illud cum tu mihi probes quodam modo; in hoc ego, tibi, si poterō, satisfaciam. Illa autem etsi inter se contraria uidentur; te scilicet & non dubitare, quin a me diligaris; & ipsius beneuolentiæ testes in te meæ litteras cupere: (non enim necesse est, quorū de uoluntate nobis sit persuasum, de ea testes, aut sponsores ullos accipere) tamen ut ingeniose a te ficta sunt; ita tui in me amoris certissima argumenta esse censeo. Sed utinam mi Foliane, dare ad te litteras possem, quæ, quam facile meum erga te amorem queunt declarare, tam ualde tibi scriptori egregie subtili & polito placcent. magna res est & præclara his temporibus Latine et non inquinatè scribere, ac se ad antiquorum dicendi rationem conformare. quo in genere cum nihil mihi umquam sumpserim, nisi quod ratione ipsa & iudicio grauissimorum hominum fretus uideor mihi rectissimum genus ac uiam tyronibus posse ostendere litterarum, quas ipse uel ingenij uel fortunæ culpa (Haud facile emergunt, quorū uirtutibus obstat Res angusta domi) non dum plane sum consecutus: quid præstare possim nō uideo. Si tu tamen, quid possim, melius, quam ego, uides;

cum

cum id ostenderis, ad tuum consilium in ea re meum libenter accommodabo. nam hæc eadem scribendi recte tibi nota ratio est; nec deest iudicium. Sed, ut ad tuam petitionem reuertar; nihil inuitius facio, quam litteris meam ostento benevolentiam; nihil etiam leuius puto, quam dare ad quemquam, uel amicissimum, litteras, in quibus præter ostentationem, nihil argumenti inest. Quo circa sit, ut rarius scribam: nec hoc tempore scripsissem, nisi summus in te amor meus, atque adeo tuarum litterarum suauitas, qua magno opere delector, ad scribendum me impulisset. Vale.

Francisco Cicereo. Epist. XXI.

**A**NNIBALIS Cruceij uiri optimi, & hominis non uulgariter eruditi, ac summi poetæ interitu ita doleo; ut, qui cum illo maximis uinculis & propinquitatis & affinitatis coniuncti fuerit, maiorem animo dolorem non possint capere. quid queris? prorsus mihi omnis hilaritas erepta est. nam ut illius mortem æquo animo ferre nemo possit, ut lugeat Senatus, ut mæreant amici ceteri, ut uniuersa ciuitas perturbetur; mihi tamen ille moriens præcipuum quendam dolorem inussit. nõ te fugit Cicerei doctissime, quantum eum uirum amaerim uirtutis tantum nomine, ante quam  
me

me in amicitiam reciperet, quantum etiam laborarim, ut apud illum amici me in gratia ponerent. postea cum tua commendatione in primis me diligere cepisset, & beneuolentiæ etiam ea mihi dedisset indicia, quæ ijs tantum, quos caros iucundosq. haberet, dare solitus erat; uidebar mihi non solum eius in me amoris & iudicij fructum immortalem cepisse, sed doctissimorum hominum, qui illum amarent, simul esse amorem pæne consecutus; itaq. omnibus lætitijs incedebam. nunc autem morte ab eo cum uita commutata, lacrimis, & luctui traditus sum; nec leuationem doloris aliunde expecto, quam uel ab ipsa die, quam expectare nolim, uel ab amicis eisdem, quorum iudicio & amore adductus statim me complexus est. in quibus cum tu Principem locum teneas, etsi tibi mecum communis est lugendi causa, propter iam diu excitatam inter te & illum studiorum communionem beneuolentiæ; quia tamen firmissima aduersus animi commotionem a doctrinæ studijs habes comparata præsidia, non dubito, quin ubi paullulum dolorem tuum prudentia tua consolata fuerit, mei quoque acerbitas mæroris tuæ consuetudinis atque beneuolentiæ suauitate leniatur. quare ad te litteras dedi, quæ non solum meum in communi causa dolorem testarentur, sed etiam a te uiro amicissimo, & sa-

M pien-

pietissimo medicinam peterent . Vale.

Octauiano Ferrario. Ticinum.

Epist. XXII.

**C**VM cogitatio eius periculi, quod inconside-  
ratissima & dementissima famuli tui temeri-  
tate tibi coniugi ac liberis tuis allatum esse con-  
stabat, me ualde sollicitum haberet; eam curam  
& animi mei angorem hoc leuabat, quod te om-  
nia humaniter sapienterq. ferre, & ni tuto etiam  
esse cum tuis collocatum certior fierem. nunc au-  
tem Annibalis Cruceij doctissimi & optimi uiri  
morte ita sum perturbatus, ut, quæ plaga con-  
sanuisse uideretur, recrudescat, & altera acce-  
pta grauius doleam. ego enim, ut primum fama  
& auditione accepi de huius hominis uirtute &  
ingenio, ipsum nec dum mihi de facie notum di-  
lexi: deinde, cum amicorum (tu aberas) com-  
mendatione me in amicitiam recepisset, & quo-  
tidie fructum aliquem amoris mihi præberet; sic  
colui & amauit, ut ne ijs quidem, quibus uetusta-  
te necessitudinis potior erat, concederem. In quo  
quidem certe faciendo & quoniam tecum is esset  
consiliorum omnium societate, & studiorum simi-  
litudine coniunctus; & eadem tu, qua ille, uirtu-  
tis causa a me obseruaretis et amarere; sum mi-  
hi

hi uisus, tibi eundem honorem licet absenti, at-  
que idem officium præstare. Quod cum ita sit,  
Ferrari sapientissime, tum illius obitum iniquis-  
sime fero; tum si quis te non uehementer com-  
motum esse suspicatur: eum aut quæ tibi cum illo  
amicitia fuerit, nescire, aut neque uirtutis, neque  
eius, qui uirtute conciliatur, amoris uim esse  
expertum iudico. equidem non solum te in dolo-  
re summo esse habeo persuasum; sed tuum etiam  
doleo maximopere dolorem: cuius tamen summa  
mihi leuatio est, cum humanæ conditionis recor-  
datio, tu tuæ excellentissimæ uirtutis opinio mea.  
nam quamuis nequeas, ut scopulus fluctu, ita  
humanis miseris non commoueri, quæ tamen à te  
philosopho grauissimo & præstantissimo sunt pa-  
rata contra animi perturbationes præsidia firmis-  
sima, ubi, quantum communis humanitas, &  
amicitiæ lex postulat, tantum ex his incommo-  
dis, atque ex uiri amicissimi & optimi interitu  
dolorem hauseris, te tam cito ad animi æquitatē  
extollent, ut in aduersis & asperis rebus clarior  
multo tua uirtus & illustrior futura sit. Cum  
itaque tam salutaria tuis uulneribus remedia a  
te met ipso adhiberi possint; & a me hæc, quam  
exposui, alleuandi mæroris mei ratio inita sit: re-  
liquum est, ut, pro nostro amore, meaq. in te ob-  
seruantia, tibi gratuler admirabilem istam tum

in te tuisq. seruandis, tum in aduersis perferendis uirtutem. Vale.

P. Paulo Foliano. Epist. XXIII.

**E**T SI quanti me facias, quanta uicissim mea in te beneuolentia sit; nos inter nos testes sumus; ut, quemadmodum satis superq. a me tibi alias significatum est, id neque ex litteris aut sermone, neque magnitudine officiorum, aut ulla denique alia ex re spectandum putem: quod tamen penes te esse meas nostri amoris testes litteras, quas uis, quibus amicitia nostra minus nota est, ostendere posses, te cupere & presenti sermone & litteris exposuisti: mihi faciendum fuit, ut ea in re tibi satisfacerem. Itaque dederam superiores ad te litteras, quæ non solum meam de scribendis eius generis epistolis sententiam, sed nostrum etiam amorem testarentur. ad quas cum te coram breui responsurum meo puero dixeris; neque tamẽ ex eo die ad me uti consueueras adieris, summo præsertim ob Annibalis Cruceij summi uiri, meiq. amantiissimi obitum iacentem in mœrore: uereor, ne quid incommodi interea tibi datum sit, quod (uere augurari nolim) mihi augeat molestiam. quare ad te cum his litteris puerum misi, qui rediens me de statu tuo faciat certiore. Vale.

Mi-

Milano Apostolio. Casale.  
Epist. XXIV.

**N**IHIL mihi umquam tam præter opinionem accidit, Milane, quam ut me ad scribendum contra te prouocares. quod tibi debet esse persuasum propter eum amorem, quem me erga te habere, cum sæpe alias, tum diebus proxime superioribus declarauim, cum, errorem ut deponeres, te hortatus sum. Verum, quando ita obstinate in eo uersaris, ut, qui tibi ipsum uelint eripere, eos conuitio iactes; non possum facere, quin abs te præsertim laceffitus hac epistola & meam causam tuear, & tua argumenta confutem. qua in re tamen te obsecro, uti si liberius tibi respondero, id ne animo iniquo feras, cum tu ita faciendi initium introduxeris. Ad disputationem igitur sic aggredior. Ab oratione ordiendum, non a partibus esse in docendo Græcas Latinasq. litteras, contra quam ab alijs fit, inquis; quia Aristoteles in Proemio Physicorum docet ab uniuerso & confusis principium docendi discendiq. faciendum esse; ob id, quod uniuersa genera & confusa & totum sint notiora suis principijs & causis: quasi eadem ratio sit rerum naturæ inuestigandarum, & cognoscendarum causarum, quæ

M 3 docendi

docendi litteras, linguaq. Græcæ & Latine discende. At qui longe diuersa sunt hæ rationes Milane. Si enim ab oratione ordiri oportet; cur ipse Aristoteles in *περὶ ἑρμηνείας* libro a nomine & a uerbo orationis partibus exorsus est? an docet alios ea, quæ ipse non præstat? minime id quidem. turpe enim est suadere alijs, quæ nostris exemplis improbentur. quid igitur? Audi Milane, si uerum audire potes; Ad uniuersorum generum, & compositarum rerum, & confusarum in natura, scientiam percipiendam necesse est, ut ea, quasi rem integram & uniuersam in manus sumentes, diuidamus; & ad fontes ipsos & principia inquisitionem deducamus. quare Aristoteles in *Physicis*, ab uniuerso, genere & a confusis totoq. exordiendum, hæcq. notiora esse; elementa uero principiaq. ac causas posterius per illorum diuisionem nota et manifesta fieri, inquit. quæ quid ad orationem & linguas Latinam & Græcam discendas attinent? nihil me hercule. nam, ut rem paullo altius repetamus, artifices omnes, quorum artis opus omne est in agendo & faciendo positum, materiamq. sui habet principium & partes, perfectionem uero absolutioneq. finem & formam; non a fine agere incipiunt, sed a principio & partibus; & quamuis ipsum finem ante conceptum animo inclusum contineant, ad

quem

quem usus principij & partium spectat; tamen necesse habent & prius subiectam materiam cognoscere, & absoluendo operi apta sit, nec ne, explorare, atque habere bene paratam. Pari ratione Grammaticus, qui litteras & partes orationis habet operæ suæ subiectam ueluti materiam, ut suis manibus aurum faber; prius litteras & dictiones cognitās habeat oportet, ex quarum iunctura & structura opus suum efficiat, uidelicet orationem. quod ita esse pluribus exemplis optime probatur. quæ quod sunt omnibus nota, & otij parum datur, prætermitto. hæc dumtaxat in medium proferam; ad ædificandum paratam prius oportere esse calcem & cæmenta, quibus primum fundamenta iaciantur, deinde ducantur parietes, postremo fiant sola & tecta: quæ consequitur totius operis ornamentum, absolutio, ac forma. quam tamen formam ante operis initium cogitatione solum depinxeramus, non perferamus. nisi negemus, in ijs, quæ in operibus artium efficiuntur, materiam re uera præire formam, & fini principium; uel una cum materia opus ipsum formam acquirere dicamus: quod plane falsum est, ac fieri nequit; cum hoc tantum sit naturæ munus, materiam & formam eodem in tempore rebus dare. Ex quibus cuius cernere licet, in tradenda arte componenda orationis Græcæ

praesertim & Latinae, uel in Graeca Latinaq. lingua facultate consequenda, quam his temporibus nisi a magistris et ex libris suppeditari nobis uidemus, quos libros Grammatici interpretantur, Graece & Latine scriptos; & quae tota aliunde pendet, quam ab usu quotidiano: firmo progressu a litteris ad syllabas, a syllabas ad dictiones, ab his postremo, tamquam per scalarum gradus, ad orationem perueniri; ut nunc omittam descriptionem, quam tu (puto) a litteris primordia capere, non negas; quaeque quod de oratione dictum est, uel sermone, ita habere declarat. qui enim poterimus umquam libros legere, unde discitur sermo Graecus & Latinus, aut intelligere, nisi prius nouerimus litteras, & docti fuerimus uocabula, quid sibi uelint singula, quibus illi scripti sunt? neque ea res mihi negotium facessit, quod uulgus litterarum expers oratione utatur, id assecutum ex consuetudine: quando aliud quidem est, Graece & Latine loqui, aliud populariter, & uulgari sermone; & in usu quoque huius linguae uernaculae & uulgaris, uel ipsi infantes primum singula uerba discunt, & ea quidem permultos dies imperfecta effutiunt; deinde paulatim in orationem usu magistro ac domesticis docentibus cogunt. Neque tecum facit, ut putas, quod parentes & nutrices paruulos primum docent

cent uocabula earum rerum, quae etiam primae a pueris uidentur, & agnoscuntur. Sed me pudet haec tibi, tamquam rudi adhuc & imperito inculcare. Proinde ad Aristotelem, quem habes, ut dicis, erroris tui auctorem, me conuertam. profecto si quae hic aguntur, apud mortuos audiri possunt, ille tantus philosophus magnam a te, Milane, iniuriam hodierno die accipiet. Et si illius uerba tecum faciunt, non debebas tamen ea uulgo explicare, atque Criticis quasi ansam dare ad reprehendendum, quia secus docuerit, quam oportet. Sed hoc leue est; quia ab his aliquo se tandem modo extricabit: illud grauius, quod grammaticistas quosdam, tamquam crabrones irritasti, quorum est manibus utinam euadat. haec iocor, Milane. Enimuero hominis philosophi & Peripatetici, & principis omnium philosophorum atque magistri sempiterna foret infamia, si quae praecipit, ipsius met praceptoris exemplo male praecipita arguantur. exempla me hercule magis, quam uerba, mouent. At error hic tuus est, Milane; in quo tamen facile excusari potes. Cum enim senex rerum multarum usu praeditus sis, atque ea ingenij solertia, (supra hominem putamus, quae tibi uni tributa esse iactitas) ut, quae alij per artem grammaticam magno cum labore tum discunt, tum docent; tu nullo negotio & sine

ne arte consequaris : quid mirum uideri debet ,  
 immo cur excusandus non es , si ea facillima du-  
 cis , quæ facta sunt difficillima , uel fieri non pos-  
 sunt? & iam oblitus puerorum imbecillitatis ani-  
 um inducis docere eos Græcas & Latinas litte-  
 ras sine litteris , & orationem componere non co-  
 gnitis prius partibus , contrario modo; & ea sa-  
 ne ratione , qua philosophi rerum naturalium caus-  
 sas & principia quæerunt , rem uniuersam inte-  
 gramq. uel compositam resoluentes , & ad prin-  
 cipia fontesq. ipsam inquisitionem deducentes ?  
 quam sane rationem ego , qui fortasse minus , quàm  
 tu , ingenio possum , nec plane assequor , nec in do-  
 cendis pueris sequor . Sed redeo , unde digressus  
 sum . Licet uniuersa genera , & composita , siue  
 confusa , & totum sint uotiora , atque ab eis ini-  
 tium faciendum sit ; nego tamen , orationem uel  
 idioma Græcum ac Latinum , uel aliud quod uis ,  
 eiusmodi esse , a quo tamquam magis noto , quam  
 suæ partes sunt , in docendo auspicari possimus ; e-  
 tiam si me confiteri oporteret , quod nunc dissimu-  
 lo , orationis ergo edisci parteis , & orationem  
 cogitatione uel , ut Dialectici loquuntur , intentio-  
 ne esse priorem . non enim oratio , siue idioma  
 Græcum & Latinum , uel aliud quodcumque , est  
 uniuersa res , uel totum & confusum , ( quod ad  
 compositionem pertinet ) eiusmodi , ut completa-  
 tur

tur parteis suas , quemadmodum genus suas for-  
 mas ; sed totum quoddam , quod suis partibus  
 constat , ut numerus ; quæ singulæ partes separa-  
 tæ aliquid significant , uti ex nominis et uerbi de-  
 finitionibus apud Aristotelem cognoscere est . nisi  
 enim ita haberet , & liceret dicere , Omne nomē  
 orationem esse , similiter omne uerbum , quemad-  
 modum dicimus , omnem hominem animal esse :  
 quo nihil absurdius dici potest ; & Aristoteles ma-  
 le dixisset , orationem esse uocem , cuius partes  
 separatæ aliquid significant : cum debuerit ( tuo  
 iudicio ) dicere orationem esse genus , quod dici-  
 tur de Nomine & Verbo , & ceteris partibus  
 suis ; itemq. debuerit dicere , nomina & uerba  
 esse formas , quæ de suis singulis dicantur . Sed  
 cum oratio sit uox , cuius partes separate , ut dixi-  
 mus , significant , & compositum quoddam , quod  
 parteis continet , ut materiam sui , non ut formas ;  
 ac ne ipsa quidem quidquam significare possit , nisi  
 sit constructa ex pluribus partibus , quarum si-  
 gnificationem prius nobis cognitam esse oportet ,  
 si quid illa significet , intelligere uelimus : non po-  
 tes non fateri , uniuersum illud genus , & confu-  
 sa , & totum , de quibus philosophus loquitur , ni-  
 hil ad hæc , quæ somnias , de discenda Græca &  
 Latina lingua , pertinere ; neque cum oratione  
 quidquam , ( quod ad compositionem spectet ) com-  
 mune



## S. FOLIANI

mune habere. Quocirca intelligimus omnes te no-  
 uellum philosophum, hominem quamuis uetu-  
 lum, non adsequi uerborum philosophi sententiã.  
 quã est tui erroris origo, ac prauã opinionis, quã  
 si omnes ludi magistri imbiberent, (quod Deus  
 auertat) actum esset de litteris. Palinodiam igitur  
 cane, & non grauate confitere, partes oratio-  
 nis ut priores sunt, ita etiam notiores oratione  
 esse, & propterea ab illis initium faciendum in di-  
 scendo & docendo. &, ut tecum modestius agã,  
 concedo in presentia, orationem totum quoddam  
 esse, quod suis partibus notius sit; quod non est;  
 te tamen animaduertere oportet, cum duo sint do-  
 cendi, & toridem discendi modi; alter, quo to-  
 tum ipsum & cõfusa diuidimus in suas minimas  
 parteis, de quo diximus, qui etiam Resolutorius  
 ab Aristotele appellatur, & nobis est commo-  
 dior in interpretandis auctoribus; alter uero huic  
 contrarius, quem componentem doctissimi homi-  
 nes uocant, quo acceptis partibus ipsum totum  
 ex edificamus: cum (inquam) hi duo sint discen-  
 di & docendi modi; te scire oportet, hunc poste-  
 riorem componendi præstantiorem esse, & ad do-  
 cendum, quã per disciplinam & artem tradun-  
 tur, commodiorem: propterea quod & excellen-  
 tiam tradentis ingenij ostendit, quòd necesse est  
 omnia habeat in numerato atque ordine disposita,  
 ante-

## EPIST. LIB. IV. 95

antequam animum ad docendum appellet; & ab  
 elementis exordians, quo pacto quidque facien-  
 dum sit, rationem reddit. nam nisi ni docendo ini-  
 tium ceperimus a simplicibus uerbis et uocibus,  
 necessario cogemur idem sæpius repetere; & pue-  
 ri ipsi confundentur in ipso toto & composito, nõ  
 dum intellectis partibus, ex quibus cõstat & fit;  
 ac tardissime, uel nunquam Græce Latineq. loquẽ  
 di facultatem comparabunt. qua ratione hic mo-  
 dus a grammaticis tenetur in tradendis loquendi  
 præceptis: ille uero superior in interpretandis li-  
 bris, a quibus pueri Græce & Latine discunt. Do-  
 cent enim primum litteras et syllabas pronũcia-  
 re, deinde ex his dictiones, postremo etiam ora-  
 tionem ordine recto & naturali. quam faculta-  
 tem ubi pueri sunt consecuti, ad imitationem au-  
 ctorum, quos legunt, etiam docentur orationes cõ-  
 ponere: quas, ut certo sciant, suis ne partibus  
 omnibus ac numeris sint absolutæ, resoluunt, &  
 ad minimas parteis deducunt inquisitionem, ordi-  
 ne mutato. neque uero pueri in scholas mittun-  
 tur, ut statim diuidendæ orationis, aut interpre-  
 tandorum auctorum doctrinam assequantur (fieri  
 enim nequit) sed ut partes primum ediscant, qui-  
 bus cognitis, deinde interpretari, quæ legunt, &  
 intelligere possint at que demum loqui & oratio-  
 nes habere. quod si mihi tradatur aliquis docen-  
 dus,

dus, qui quidem Græce & Latine loqui sciret, sed  
 elementa causasq. locutionum nesciret, ( quod  
 uix credendum est ) ut uulgus, qui Italice loqui-  
 tur, quid uero in ipso sermone littera, syllaba,  
 nomen & uerbum sit, ignorat, quia in usu quo-  
 tidiano tantum usque ab incunabulis loqui didi-  
 cit: cum statim docere modo resolutorio incipe-  
 rem. id quod in ludo litterario, quo pueri Græ-  
 ce & Latine nescientes mittuntur, fieri his tem-  
 poribus non potest. fortasse apud Græcos & Ita-  
 linos olim, cum is sermo uernaculus fuit, quem  
 nunc in scholis tantum & ex libris grammatico  
 docente discimus, fieri potuit. Quod cum ita sit,  
 uelis nolis, Milane, confiteare necesse est, pueros  
 primum elementa & partes, deinde ex his ora-  
 tionis componendæ rationem cognoscere; uel uo-  
 cabula prius imposita rebus, uerborumq. signifi-  
 cationes, postea locutiones docendos esse; huncq.  
 modum faciliorem pueris docendis & commodio-  
 rem: quia naturam ordine certo & recto imita-  
 tur in agendo, a minimis simplicissimisq. rebus  
 incipiens. Quã certe rationem ueteres  $\sigma\upsilon\sigma\alpha\sigma\iota\upsilon$ ,  
 appellarunt, & inde artem inuenerunt. Hic scio,  
 quia nimis præfracte te defendis; me iterum uo-  
 cas ad Aristotelem, tamquam a te stet; & in-  
 quis, minime ad sensum illius & opinionem pene-  
 trare. Quid si ostendam ipsum sese exposuisse,  
 quo

quo nos modo intelligimus? Adfer librum ad me;  
 te quasi manu in locum ducam. intelliges in do-  
 cendo eum fecisse a partibus orationis initium.  
 At ( inquis ) Categoriarum, siue summorum ge-  
 nerum liber inscriptus extat, qui primus est li-  
 brorum ab eo scriptorum; ergo a generibus & a  
 toto, non a partibus & formis incipit docere.  
 Ridicule scilicet. quasi impediatur, quo minus illæ  
 sint uoces simplices, & loquendi elementa, par-  
 tesue orationis, quia significant totum & uniuersum,  
 Hic nos non contendimus de rerum insitis,  
 & quasi consignatis in animis nostris communi-  
 bus notionibus, quæ sunt genera ad plures species  
 siue formas pertinentia, neque de rebus ipsis;  
 sed de uocibus, quibus utimur inter loquendum,  
 quasq. discamus necesse est ad explicandas illa-  
 rum rerum notiones, & res ipsas, quasq. esse gramma-  
 tico subiectas ad componendâ & conforman-  
 dam orationem supra dixi. Atque quod ait philo-  
 sophus ( quo tu usteris argumento ) pueros prius  
 quidem uiros omnes patres, mulieres quasuis ma-  
 tres appellare; posterius autem horum utrumque  
 discernere, distinguereq. uideri: nihil aliud signifi-  
 cat, quam in animis nostris esse naturales atque  
 insitas rerum communes nationes, & confusa prius  
 nobis esse specie ipsa nota: quandoquidem pueri  
 ipsi omnes homines, quos similes parètibus uident,  
 specie

specie decepti, & non dum usum rationis, quo possint a parentibus alios homines distinguere & discernere, percallentes, parentum communi nomine uocant, quod prius edocti fuerunt. quo exemplo probat ad indagandas causas & principia rerum naturalium ab ipso genere uniuerso & a confusis per diuisionem progrediendum, ut a notionibus naturæ; ut postea rem unam quamque distinctam a ceteris definire & demonstrare possimus. namque diuisionem principem sequitur definitio, quemadmodum definitionem demonstratio. quod non efficit, ut, quoniam confusa & communia prius innotescunt naturæ, oratio etiam prius nota esse, quam partes, aut intelligi & disci possit: cum, ut dixi antea, nihil hæc notionibus & generibus habeant commune cum discendis linguis Græca & Latina; ac ne cum alijs quidem quibusuis. Sed hæc indigna sunt, quæ aliter habere dicantur, non solum nobis negotium exhibere ullum. Quapropter tantum abest, ut grammatici ueteres, qui ab elementis & partibus orationis docere pueros instituerunt, male (ut tu calumniaris) fecerint, ut te, qui id non facis, pessime facere illorum auctoritas, ratio, & ueritas ipsa conuincat. Atque, ne quidquam non confutatum relinquamus, concedo etiam orationem prius nobis notam fieri, quam partes; non efficies tamen, quin

quin puer structura & compositionis, quam constructionem uocant, ignorans, primum omnium sit partem docendus, quo pacto in orationem ingrediantur; ut recte & sine uitio eas construere & coniungere queat: adde etiam, quod si docturus Græcas Latinasque litteras ab oratione exorsus fueris, nihilo plus te puer intelliget, quam ego Turricè aut Arabicè loquentem. Quid ais Milane? hoc negas? at ego interpretabor, ais, orationem. quid hoc? annon, si tu interpreteris, singulas uoces dictionibus uernaculis idem significatibus & puero intellectis reddes? In eundem laqueum collum inseris; nisi, quia amplius tergi uersari non potes, a quo incipiendum sit, asseras esse orationem puero non ignoratam, qua instrumento utimur ad eum docendum illam, quæ ignorat; uel uocabula ipsa, quæ sunt pueris inculcanda simul, ac possunt ea expedite proferre. quasi uero ab his nulli, nisi tu in docendo ordiantur; quemadmodum ab elementis & litteris in legendo & scribendo. Huc si profugis, est, cur potius excusatione inscitiae tuæ odium eorum, quos reprehendisti, atque in certamen uocasti, depreceris, quam intelligentium uirorum iudicio de hac contentione te iri probatum speres. O turpem errorem & magistro litterarum, quas profiteris, maxime indignum. nam cum duplex sit ratio par-

tium orationis ; una , cum dicimus in dictione  
 parteis alias esse simplices, quæ sunt litteræ; alias  
 compositas, quæ sunt syllabæ: altera, cum dictiones  
 alias nomina, alias uerba esse; atque ita, ut  
 intelligamus, ex litteris quidem & syllabis inte-  
 gram dictionem fieri, & coalescere, dictiones ue-  
 ro non esse partes eiusmodi, ut per eas concre-  
 scat nomen & uerbum, sed ex quibus oratio ipsa com-  
 ponatur: in hoc turpiter lapsus es, ut, quoniam  
 pueri non cognitis litteris & syllabis intelligere  
 uernaculum & domesticum sermonem possunt;  
 non dubitaueris etiam affirmare, eos orationem  
 ipsam Græcam & Latinam, antequam dictiones  
 & uoces simplices doceantur, esse docēdos. quod  
 quomodo fieri possit, non intelligi potest. Sed sa-  
 tis multa. iam mihi concludendum est. si igitur  
 oratio constat et componitur ex partibus, a qui-  
 bus omnem quoque significationem accipit; si in-  
 cipiendum est, quod tu non negas, unde facilli-  
 me disci potest; si postremo est natura compara-  
 tum, ut prius discamus uocabula, qua oratione  
 uti possimus: satis constat, illos numquam satis  
 laudatos uiros, qui a partibus orationis in docen-  
 dis pueris Græcam & Latinam linguam initium  
 sumpserunt, non ab oratione, quæ procul dubio  
 suis partibus posterior est; optimum docendi ge-  
 nus assecutos fuisse; te autem, qui illos reprehen-  
 dis

dis, & in crimen uocas, quiq. in docendo ab ora-  
 tione capiendum exordium contendis, unum non  
 modo illud assecutum non esse; sed nullum pror-  
 sus sequi; quia contra doces, quam docendi recta  
 ratio postulat. Quæ cum ita sint consilio quod  
 alijs das, utere, ad ueritatem rationem reuoca,  
 & errorem deponere; ne posthac in benemeritos  
 de litteris Græcis & Latinis censor iniquus sis;  
 ne ue eos contumeliosis uocibus prosequaris, qui  
 tibi errorem ipsum eripere uoluerunt. O te cen-  
 sorem perfectum moribus, in quem, quia uniuersum  
 Senatam Græcum & Latinum ignominijs om-  
 nibus iniuste notasti; censoria animaduersione  
 utendum sit. Sed iam finem scribendi faciam; ne,  
 si omnia, quæ merito audire debes, persequi ue-  
 lim, epistolæ modum transeam. Hoc tantum ad-  
 dam, me ex his litteris, si tibi errorem eripiant,  
 quod uelim, magnum fructum tulisse existimatu-  
 rum; sin minus, conscientia tamen officij mei gaui-  
 surum: cui non certe uoluntas, sed facultas de te  
 benemerendi defuerit. Vale.

S. FOLIANI EPIST.  
LIBER QVINTVS.

Milano Apostolio. Casale.

Epist. prima.



**A**GES furorem in dies Milane, teq. doctis hominibus, quorum in manus tua scripta perueniunt, tradis irridendum: quamquam si boni uiri sint, qui legunt illa, dolore potius afficientur, quod senex in morbum incidisti, ex quo non conualesces, non, si bibas purgantes pectora succos, Quidquid & in tota nascitur Anticyra. certe ego, qui minime doctus sum, sed tantum doctrinae studiosus non irrideo te; tantumq. abest, ut id faciam, te ut furentem apud sanos, & quasi inter sobrios bacchantem ab alijs irrideri & eludi periniquo animo patiar. In te quidem neque modum esse, neque modestiam ullam, ex ijs, quae contra me scripsisti; quis non animaduertat? Si de mea uita tibi conuiciatori respondero, gloriari uidebor; si aperte etiam palamq. de tuo animi morbo dixerò, in idem, quod tibi obicitur, turpiter incidam.

EPIST. LIB. V. 99

incidam. utrumque igitur omittam. Tantum tibi declarabo hac epistola, quae, ut suspicionem, quam in me commouisti, dimoueam, non possum praetermittere. Non te pudet Milane, cum abs te prouocatus in concionem ascenderim, & ex tempore quidem, sed tamen ingenue in quasdam tuas ineptias pene aniles dixerim; nunc tandem, triennio post id quam feci, eam oratiunculam, quantum habui, me a quibusdam, quos Calcinarios philosophos & Sycophantas appellas, mutuatum esse dicere? id inuidiose criminaris, (credo) ut, si ex tantilla oratione aliquid laudis sum consecutus, ea defrauder. me miserum. Si ipsam orationem sum ab eis mutuatus, qui hoc tempore, poterò calumniam hanc coercere, & pertinaciam uel in minimis rebus tuam reprehendere? eum illi, a quibus illa fuerit mihi dictata oratio, longissimo locorum interuallo a nobis disiuncti, mei deserti patrocinium suscipere non possint, aut saltem pauca uerba dictare, quibus me tuear? quid agam miser, aut quo me uertam? Dum illi adfuerunt, (sunt enim Bononienses quidam docti homines, qui apud me erant eo tempore; quos tu significas) nullum uerbum fecisti: ubi discessere, statim ad scribendum contra me studium contulisti. Astute. quis tibi responderet, me scilicet sine illis elingui & muto? Tunc scilicet mihi graues illi ui-

ri dicitur illam orationem, hanc quemadmodū  
 distant epistolam. ex odem fonte h.ec hauriun-  
 tur, unde illa manarunt. Sed esto. quid tamen  
 interest ad defendendam ueritatem; nostris, an  
 aliorum uerbis utamur; id modo nou inepte fa-  
 ciamus? sum indoctus, fateor, sed doctorum ho-  
 minum mihi uerba nō desunt. sum cæmentarius  
 orator, uti me appellas; sed pro bonis uiris caus-  
 sam dico. sum denique, qualem uis esse me; sed  
 sum superior contra te, & secundum causam meā  
 iudicatur. O te ineptum, qui conuitijs & male-  
 dictis non bonitate causæ & æquitate uincere stu-  
 des. Equidem, quid proficias non uideo, tu uide-  
 ris. sed his omissis, quo ab ijs, qui nostra legent,  
 quid mihi tecum non conueniat, intelligatur: pri-  
 mum uideamus, quibus argumentis in tua episto-  
 la, omnes grammaticos errasse in docendo, con-  
 cretis ostendere; ut, cum ea confutauero, deinde etiā  
 declarem, usu ne tantum, ut tu contendis, an etiā  
 artis Grammaticæ præceptis, ut ego contra as-  
 sero, in linguæ Latinæ & Græcæ possessionem ue-  
 niatur. Si oratio (inquis) quæ uoce profertur,  
 concreta ex litteris atque compacta est; & si ani-  
 mal genus, aut nihil est, aut aliquid posterius; si  
 etiam principium dicitur illud, unde unum quod-  
 que optime fit, ueluti doctrinæ; si non a primo ac  
 rei principio incipiendum est aliquando; sed unde  
 quis

quis facillime discit: contēdam cum quolibet pro-  
 fitente Latinas litteras & Græcas, etiam deposti-  
 to pignore a me duplo aut triplo (Qui sibi fidit  
 Dux regit examen) quod hi uiri numquam satis  
 laudati (nominaſti enim in tua epistola Quincti-  
 lianum, & ex recentioribus grammaticis Aldū,  
 Viuem, & quosdam alios) multum laborantes  
 non sunt assecuti optimum docendi munus; sed il-  
 li, qui ab ipsa oratione initium sumpserunt. Hæc  
 tu Milane in tua epistola ad quæ quamuis in ea  
 oratione, quam in te habui, responderim; tamē  
 non grauabor, eis hunc adferre cumulum, &  
 quasi corollarium addere; ut grammaticos qui-  
 dem, quos tu errasse in docendo dicis, recta do-  
 cendi uia instituisse; te uero ab ipsa declinare, pla-  
 num faciam. Tot doctissimos homines, quorum  
 e ludo, tamquam Troiano ex equo duces, prodie-  
 re permulti poetæ, historici, oratores, philoso-  
 phi, optimum docendi genus non esse assecutos  
 audes dicere? quia a litteris & partibus oratio-  
 nis, non ab oratione, ut tu dicis, neque quid di-  
 cas intelligis, auspicati sunt? O te hominē stul-  
 tum dicam, an ridiculum? quibus hæc probas  
 Milane? alijs fortasse ignorantibus, quibus te  
 uenditas; mihi numquam, nisi hos sensus amise-  
 ro. Ais enim, orationem, quoniā est totum quod-  
 dam, partibus suis esse notiorcm, & ab hac in do-

cendis pueris Græcam & Latinam linguam incipiendum, non ab illis fuisse. quo errore quid maius esse potest? Certe Plato quidem in Theæteto testatur, in singulis artibus fundamentum earum intelligendarum esse elementa rerum ipsarum, de quibus artes ipsæ agunt, comprehendere; alioquin omnem laborem irritum esse. atque Aristoteles ipse, quem te sequi falso dicitas, semper a notioribus incipiendum asserit; & notiora quidem esse et priora, quæ sensui maxime propinqua sunt singula; minus uero nota & posteriora, quæ uniuersa sunt, & a sensibus maxime remota, et propterea hominibus cognitu multo difficillima. nam, quæ in proemio Physicorum dicit, ad indagandas res naturales spectare, iam satis in oratione quæ habui in te, & in epistola quadam etiam ad te scripta annis ab hinc tribus, ostensum fuit: et hæc, quæ de toto suis partibus notiore dicitis, si ad rem nostram pertinerent, mecum etiam facerent. Cum enim duo sint docendi modi, siue rationes, quemadmodum Aristoteles tuus docet; una quidem, qua naturam, ut tum loquebantur, ueteres secuti, ordine, quo facta res est, eius uim facultatemque tradiderunt, & a minimis simplicissimisque rebus principium fecerunt, atque inuenerunt artem: altera, qua contrarium ordinem, & ingenijs hominum magis aptum iter intrarunt,

⊕

& rem uniuersam integramque. cuius scientiam assequi studebant, in manus sumpserunt, & quasi compositum resolverunt, & ad principia fontisque ipsam inquisitionem deduxerunt: harum rationum utramque Grammatici omnes, quos reprehendis, secuti sunt, in eo ipso, quod sunt professi; (sunt autem professi duo in primis recte emendateque loqui ac scribere docere; & scriptores, unde lingue eius, quam docent, cognitio accipitur, interpretari) illam superiorem quidem, a litteris & orationis partibus cum incæperunt, qui modus componendi dicitur; hanc uero posteriorem, cum scriptorum dicta & orationes sunt interpretati, qui resoluendi modus uocatur. quorum in priore a simplicibus ad composita pergitur, in posteriore totum in parteis deducimus. Hic tu Milane inquis, Non ago de scripta Oratione, sed de ea, quæ uoce profertur. Age, quasi non eadem ratio sit, scriptam mittamus, agamus in præsentem de altera. Aristoteles in libro περὶ ἑρμηνείας a Nomine & uerbo definiturus orationem incæpit. Hoc male factum arguis; an factum negas? non negas, quia nimis nota res est; male actum diceres, si posses persuadere. Ego bene actum, non ab illo (quid enim opus est Aristotelea confirmare?) sed a grammaticis, qui illum sunt imitati, ostendo. nam si compositam

naturam

naturam eorum sequitur ac suscipit, ex quibus totum ipsius compositionis corpus efficitur; & si ea, ex quibus aliquid componitur re ipsa priora sunt ipsa compositione; (hoc loco intelligi uolo dictum de ijs, quæ hominum arte fiunt, non de naturæ operibus) & si partes orationis Nomina, quorum, ut Plato ait, copulatio orationis est uis & potestas, & uerba ex instituto non natura significant, uti mox ostendam: oratio, quæ est eius modi compositum, naturam nominis & uerbi suscipiens ipsis posterior est, atque significandi uim ex instituto, quam illa habent, etiam ipsa habet. Itaque non solum philosophus de oratione acturus, recte prius nomen & uerbum partes illius definiuit, quam ipsam; sed Grammatici omnes, qui idem fecerunt, ac faciunt, bene docent. Enim uero, si uoces sunt signa affectionum animi, sicut & ea, quæ scribuntur, sunt notæ eorum, quæ uoce significantur; & si ea animis nostris effinguntur, quæ sunt a sensibus tradita atque impressa: (excipio incorporea; quæ, ut Plato ait, intelligentia non sensibus comprehenduntur) non oportet inficiari, tum ipsos affectus, qui animo ingenerantur ex rebus ei a sensibus representatis, quos natura homini attribuit, tamquam satellites ac nuntios, ipsis rebus esse posteriores; tum uocabula, quibus unam quamque rem nominamus, prius nobis

nobis esse discenda, quam in orationem ad exprimendos animi sensus, tamquam in unum locum, cogere possimus. Hinc factum est, ut ipse Aristoteles, antequam de ipsis orationis partibus & oratione scribere aggressus sit, librum, qui inscriptus est, summorum generum, seu manis, Κατινοπίας, ediderit: in quo agit de dictionibus, quæ notiones & res significant, ut Dexippus Platonicus ostendit, ex quibus omnis oratio constat. Nomina autem & uerba, quamuis uoces alioqui naturales sint, non tamen natura rebus esse imposita ad significandum, sed hominum arbitrio, in una quaque lingua, item, orationem ex instituto significare, licet natura ad loquendum homini linguam & alia instrumenta aptissima dederit, et omne loquendi initium ab intelligentijs, quas natura in animo nostro inclusit, & ab ipsius animi affectione ducatur; tu tantus philosophus cognitum habes. nam si natura data rebus nomina fuissent, ut iudem sensus & eadem intelligentiæ rerum cunctis sunt omnium regionum hominibus, ita eodem sermone & eisdem uocabulis omnes uterentur gentes, nec ulla linguarum essent discrimina, ut nunc omittam, quod sacris litteris docemur, non naturalia esse nomina, sed Adamum primum humani generis parentem ea rebus indidisse, & cum paulatim in uarias linguas crejens humanum genus



## S. FOLIANI

genus discretum fuisset, unam quamque nationem nomina rebus arbitrato suo posuisse. Quapropter mihi uenit in mentem mirari, cur orationem notio-rem nomine & uerbo partibus suis, & non ab his, quam ab illa potius initium sumendum in docendo dicas; uel quia hoc tibi persuaderi non potest, cur Aristotelem ipsum, qui contra, quam tu doces, fecit, quemque nos sequimur, non reprehendas, non accuses. Sed non animaduertis illud uniuersum & totum, quod posterius est & notius natura, ut loquuntur philosophi, de quo Aristoteles agit, nihil cum tuo toto & composito, de quo disputamus, commune habere, & ad rem tuam nihil interesse. Te, ut uerum dicam, in errorem induxit nimia, quam induisti, sapientiae persuasio, qua factum est, ut, cum legeris in Proemio Physicorum, confusa primum nobis nota esse ac manifesta, elementa uero deinde, ac principia per illorum diuisionem cognosci solere; & propterea ab uniuerso ad singula nos proficisci oportere; ipsumque totum esse notius; atque uniuersum esse totum quoddam, quippe cum multa complectatur, ut partes; & nomina eodem modo quadam tenus se habere in definitionibus, quia totum quoddam indestructumque significant, & ceu circulus: factum (inquam) est, ut, cum haec legeris ab Aristotele scripta; non tamen intellexeris,

in

in ordine, quem in Physicis ille tenuit, de natura opere uerba faciens, uniuersum, hoc est, genus, notius esse suis speciebus & prius; quia in omni procreatione, quod esse potest, ut tempore prius & natura posterius, ita intelligentia comprehensum prius cognoscitur, quam re ipsa sit; & cognitionem generis quasi ita se habere, si cum formarum cognitione comparatur, in quibus re ipsa omnia naturalia cognoscuntur; & propterea philosophum dixisse innatam esse nobis uim cognoscendi ea, quae notiora & magis manifesta sunt naturae: quae nihil repugnant ijs, quae dixit in primo libro posteriorum Analyticorum, quamuis nonnulli repugnare existiment. illic enim de singulorum ordine, quorum cognitionem sensus dat nobis; hic de uniuersis, quorum cognitionem ab intelligentia capimus, non a sensu, qui, ut Plato dicit, non percipit naturam, quam ουσΙΑΝ appellat agitur ab eo. Quae omnia si diligentius attendisses Milane, cognouisses ea, quae ad naturalium rerum, earumque initiorum indagationem spectant, in quibus uniuersi doctrina traditionem singulorum anteuertit; nihil ad rem tuam spectare, in qua partium natio totius notionem anteit: cum nomina & uerba ex priore mentis & intelligentiae nostrae, ut philosophi loquuntur, operatione, sint notae conceptionis alicuius simplicis; & oratio ex  
poste-

posteriore operatione sit nota conceptionis alicuius compositi; atque simplicia ex componentis actione ipsum compositum præcedant; & disciplina ex minus notis natura, teste Aristotele, ad magis nota procedat. Neque uero, cum idem ait, Nomina ita referrî ad definitionem, totumq. atque indistinctum quoddam significare; id de oratione etiam intelligi debet; sed de ijs, quæ cõmune aliquid cum multis rebus significant, nominibus tantum, cuiusmodi sunt hæc Pater, Mater, & id genus reliqua; quæ non aliquid distinctum & singulare, sed confusum indistinctumq. significant: quemadmodum Parens nomen, quod etsi de omnibus dicatur, qui filios habent; non tamẽ Socratis patrem Sophronicum, uel Philippum Alexandri, neque hunc uel illum distincte demonstrat. id quod uerbis, quæ sequuntur, ipse declarat; Pueri, inquit, quoque prius uiros omnes patres, mulieres quasuis matres appellant; posterius uero utrumque discernere ac distinguere uidentur. Et reuera hoc de oratione dici, ut tu non recte putas, nullo modo uidetur. Siquidẽ non complectitur oratio suas partes remotas nomen scilicet & uerbum, ut genus, species, aut commune nomen ea, quibus commune est; sed uel numerus suas partes, statua suas, & quæcumque non suapte natura & sponte, sed arte fiunt: nisi

nisi sumamus orationem pro genere, quatenus de multis orationis formis dicitur; uel quatenus in propinquas partes distincta propositiones efficit. de quo non habeo tecum contouersiam. Quod autem ad scriptorum enarrationem attinet, quæ est eius, quod grammatici profitentur, pars altera; hi pergunt modo contrario superiori, orationem in nomen & uerbum resoluentes; quo a discipulis resoluta eo modo oratione, tota scriptoris sententia, quæ ex uerbis & nominibus in orationem, quasi in unum locum coactis, consignata est, facilius intelligatur, quam ne intelligerent quidẽ ex ipsa resolutione, nisi prius ipsas partes, quid significant, & quo modo uim significandi in ipso composito & toto consumant, edocti sint. namque cum ipsum compositum, nempe oratio sumat, quasi personam quandam, significationem partium suarum; necesse est ad eius cognitionem & expositionem, naturam prius partium cognitam habere: quæ nimirum compositione ipsa sunt priores; tametsi ex effectu corpore compositionis, ut a præstantiore forma, partium appellationẽ nanciscantur. itaque, uelis nolis, te confiteri oportet, neminem posse, quid oratio significet, scire, nedum alijs explicare, nisi prius, quid nomina & uerba significationis habeant, cognouerit: cum, quemadmodum est propriũ orationis uniuersam senten-

## S. FOLIANI

sententiam uel loquentis uel scriptoris aperire; ita partium eius, rerum singularum, ex quibus ipsa constat, siue uoce proferantur, siue scribantur, dare significationem. Sicut Aristoteles docet in opere logice: ubi, quamuis oratio distribuat uel a genere & toto in suas species & partes propinquas, de quo non agimus in presenti; uel a toto in partes remotas, id est, uoces simplices, de quibus nunc agimus: tamen a uocibus simplicibus rerum communes notiones significantibus, in animis nostris natura consignatas, librum scribens Categoriarum auspicatus est; non ab ipsa oratione: quippe qui intelligeret & ipsam orationem intelligi non posse, nisi prius ipsæ dictiones, ex quibus illa componitur, intelligantur; & ipsas rerum notiones, quæ oratione explicantur, suis uocibus simplicibus prius significari oportere, a quibus ordine recto ad ipsum compositum docendo proficisceretur. Etenim Socrates apud Platonem, ut eos confutaret, qui elementa ignota esse, quia simplicia sint; & ex eis effecta nota, quia composita, assererent: quemadmodum (inquit) composita ab elementis dependent, ita compositorum cognitio ab elementorum cognitione capitur, & perficitur. ignoratis enim elementis composita nullo modo sciri possunt; propterea quod, qui partes compositi singulas ignorat, utrum omnes ad-

sint,

sint, nec ne, & utrum ipsum compositum absolutum sit, scire non potest. Eodem modo, Milane, dictionibus ignoratis ipsam orationem ignoremus necesse est. Ac quod Socrates hoc loco dixit, de omnibus rebus intelligi uult, non solum de dictionibus & oratione: sicut doctissimus Ficinus testatur. Hæc cum ita se habeant, non dudum est, quin non solum, qui a partibus ipsis orationis in docendo sunt exorsi, probe & sapienter fecerint; uerum etiam illi, qui posteaquam pueros prima elementa & uocabula linguæ eius propria, quæ discenda est, docuerunt, & adeptos legendi & scribendi facultatem uident; statim, quot sint orationis partes, quomodo declinentur, earumque origines, accidentia, finitiones tradunt illis, & paulatim monstrant uiam ad emendate loquendum & scribendum: uti faciendum docent, quos tu improbas, Quintilianus, Diomedes, Donatus, Priscianus, Aldus, Viues, Linacer, Dispaute-rius, Murmellius & ceteri Latine doctissimi; & qui Græce etiam docuerunt, Gaza, Urbanus, Constantinus, & reliqui Grammatici omnes: non, quemadmodum, qui his neglectis ambitiosi suos discipulos humi adhuc reptantes circa sublimiora ostentare uolentes, præpostere docent: quos iure Quintilianus reprehendit, licet tu cum his errare malis, quam tanto uiro assentiri. nam quod

usu tantum id comparandum esse dicis, uide, ne  
 & hoc ad nimiam ambitionem incubat, fallatq.  
 te uolentem circa spetiosa discipulos tuos ante tē-  
 pus uersari. Si enim usu tantum, non etiam ea,  
 quæ artis præceptis continetur, confingendæ ora-  
 tionis, & conuenientiæ uocum ratione, conentur  
 discere Græce & Latine, sicuti fit in uernacula et  
 uulgari lingua discenda; nec in ipso principio eã  
 rationem sequantur, qua etiam in hac uulgari pe-  
 riti ab imperitis litterarum distant maxime: duo-  
 bus incommodis afficientur, hoc primum, ut eo-  
 rum oratio sine uitio & emendata rarenter exi-  
 stat; illo deinde, ut tardissime ipsam loquendi fa-  
 cultatem sint habituri. namque, dum nulla ra-  
 tione præcognita coniungendarum uocum & con-  
 figurandæ orationis, præcipientes ferentur, ut est  
 puerorum natura, ad loquendum; ea concipient  
 uitia, quæ uel numquam deponent, uel si depo-  
 nere studeant, quo tempore ad grauiora studia  
 erit incumbendum, ad illa, quæ primis annis di-  
 didicisse præstabat, cogentur redire. quod accidit  
 sunt ijs, qui Ludimagistros nacti in tradendis primo quo  
 que tempore præceptis non admodum cautos &  
 diligentes, uel etiam fastidientes initia, quales  
 modo dicebamus. qua culpa tu fortassis non ua-  
 cas, Milane, cum a tuis olim discipulis male au-  
 dias, qui se nihil profecisse, te docente, tardius  
 intelle-

intellegerunt, quam ut tanta damna celeres (Ho-  
 ratiatis uerbis utar) lunæ reparare potuerint.  
 Quod cum ita sit, hoc tuum discendi docendiq. ge-  
 nus nouum, quod totum sine doctrina & discipli-  
 na ab usu quotidiano pendet, non compendium,  
 aut methodus; sed dispendium erit maximum, aut  
 ἀπέδοδος. Et, quoniam casu, quod artis fuerat,  
 in id, quod de usu & arte pollicitus eram me di-  
 cturum, incidimus; totum pergam absoluere:  
 duo hæc, ars nimirum & usus, Milane, ita sunt  
 coniuncta, ut alterum siue altero ad ueniendum  
 in Græcæ Latinæq. linguæ possessionem minimum  
 conducat. quando Latinus quidem sermo & Græ-  
 cus aliunde cum pendeat, quam ab hoc quotidia-  
 no usu & familiarium domesticorumq. consuetu-  
 dine, ut in mea oratione, & in epistola superio-  
 re declarauit; iacienda sunt primum fundamēta,  
 quibus sine nec certa ratione coniungi uerba, nec  
 coniuncta explicari, uel intelligi queunt; tum,  
 quod maius restat atque difficilius, iactis illis, &  
 discendi uia iam tradita, ut expedite & cum di-  
 gnitate loquamur; id usu & assidua lectione bo-  
 norum librorum comparandum est. atque adeo,  
 ne quid reliqui faciamus, quod prætendas; quæ-  
 ro abs te, unde ars profecta sit; respondes (opinor)  
 Ab experientia. iterum quaero; quemnam ad  
 usum? ut sponte quod est & ductu naturæ optime

factum ab hominibus, & diuturno usu notatum, id ab ipsa arte, quæ rationes certas & præcepta faciendi dat, ac certas errare in faciendo non patientes vias demonstrat; facere celeriter doceamur. Recte habet. Quæro postremo, quæ ars re ab experientia distet: hic Amice quin respondeas, artem eius, quod ab ipsa fit, causam cognoscete; experientiam ignorare, facere non potes: item experientiam esse cognitionem, quæ ab usu accipitur, & proprie singulorum; artem vero effectam per varios usus ab experientia, uniuersorum esse, ut ait Aristoteles: Et Manlius lib. primo, Per varios usus artem experientia fecit, Exemplo monstrante uiam. Hæc omnia, quæ non audebis negare, uera cum sint; illud, quod sequitur, concedas necesse est; cum artem præstare, ut recte celeriter & cum certa ratione discamus faciamusq. quod citra artem per multa sæcula maximo cum labore, qui ante nos fuerunt, homines sunt consecuti; tum grammaticen, quæ est ars & scientia, præcepta nobis tradere, & causas, quasi uias, nos quæ ad recte certaq. cum ratione loquendum & scribendum Latine & Græce celeriter ducant, aperire. Quare, ut breuiter concludam, si quis est in te rationi locus, ne neges & Latinam Græcamq. linguam præceptis grammatices assiduaq. bonorum auctorum lectione

ne comparari; & Quintilianum reliquosq. qui docuerunt litteras, & ad artem redegerunt, quæ ab alijs temere ac fortuito, ab alijs consilio & delectu quodam in dicendo & scribendo recte facta obseruarunt: optimum docendi genus affectos fuisse, atque in docendo ab eo sumpsisse initiũ, unde optime discitur, quia ab elementis & principijs ad finem profecti sunt. Si enim oratio notior est, ut asseris, partibus suis, cur tanto tempore elaboramus in illa discenda; cum partes eius cito & paruo negotio discamus? nonne stultitia est, orationem faciliorem cognitu esse dicere, quàm partes, cum his non cognitis illam cognoscere nõ possimus? Omnis certe quidem opera datur partibus discendis, orationis intelligendæ gratia. Quod quoniam non uides Milane, non patiar te diutius errare, si uis. Non ea est Latina lingua atque etiam Græca, ut in congressu familiarium ac domesticorum sine magistro litterarum & libris, unde illa petitur, disci possit, quo discitur modo popularis sermo & uernaculus; nec quæ dicta sunt ab Aristotele & Cicerone in Rhetoricis, quorum auctoritate abuteris in præsentia, ad hanc linguæ discendæ disciplinam pertinent; sed ad uniuersam eloquentiam: in qua cum non uerborum, ut quidam arbitrantur, sed mentis uis sil elocutio; nostram mentem primum bene insti-

tui oportet, & ab ineunte aetate in congressu hominum civiumque consuetudine & luce uersari & multa discere; ut uerba rem prouisam (ut inquit ille) non inuita sequantur: deinde ad ipsas res accommodare eloquentiam. Sed nunquid hæc efficiunt, quo minus non sit necesse, prius ut discamus uocabula rebus imposita, quam ut oratione possimus uti? Non profecto. neque ea, quæ Philosophus in Eudemis, in Problematis, in Politicis, & in primo de Anima dixit; quidquam pertinent ad discendam linguam Græcam & Latinam. quando nostris quidem temporibus, ut scripsi ad te antea, atque in mea oratione ostendi, alia utimur lingua, quam etiam ab ipsis nutricibus discimus; & Latinam, quæ Latinis olim uernacula erat, & Græcam, quæ Græcis, nunc a ludimagistris & Grammaticis docemur, libros, ex quibus discitur illa, legentes, & a litteris & dictionibus ipsis petentes principia. Etenim Prisci homines olim elementorum syllabarumque cognitionem rectam & legitimam scriptionem, tum germanam ac propriam cuiusque linguæ pronunciationem, Grammaticam nuncupabant, iam inde ab Homeri sæculo. quod Cicero propemodum innuit in Tuscul. Vt si (inquiens) Grammaticus se professus quispiam Barbare loquatur, turpe sit. Nec obstat, quod Aristoteles in prima libri

libri Περὶ ἑρμηνείας parte grammatici fungitur munere, dum interpretatur, quid sit nomen, quid uerbum, quid oratio, quid pronunciatum: quæ etsi quidem grammatici interest interpretari; tamen in opere Dialectico ab ipso philosopho fuerunt explicata, quoniam Grammatica, qua nunc utimur, nec dum esset illa aetate inuenta. non enim laborabant Græci & Latini in Græcis & Latinis uocabulis discendis, quemadmodum nos, qui cum nusquam gentium hæc linguæ his temporibus uernaculæ sint & domesticæ, eas ex libris grammatico docente discere necesse habemus: qui non solum litteras & syllabas, scriptionem rectam, & germanam pronuciationem, quantum fieri potest, Græcæ & Latinæ linguæ, sed uocabula etiam ipsa simul, quæ uel ipsis quidem infantibus olim erant obuia, nunc uero ex libris tantum petuntur; docendi sumus. Id quod si tu considerares, errorem facile deponeres tuum. atque, ut concedam tibi, incipiendum esse ab ipsa oratione; dic, obsecro te; quanam isthæc incæptio est? an ab oratione incipere, est orationem ipsam, tamquam ouum integrum, deuorare? Prò Deum iumortalem. Orationis incæptionem, uel initium discendi sermonis, uel resolutionem orationis in partibus, hoc est, interpretationem, intelligis: si initium, iam ex ijs, quæ dicta sunt, quid fieri possit,

fit, tenes; si resolutionem etiam demonstrauimus, ipsam orationem a nobis ex ipsa resolutione & interpretatione per præcognitas partes intelligi. Quare non possum iam te non ridere, licet inuitus faciam: qui nimium intelligendo non intelligis, omnes ludimagistros, cum docent, incipere ab oratione quidem, dum ipsam deducunt in nomen & uerbum, aliasque particulas, quid singula hæc significant, exponunt. His amplius, siue ipsum loquendi initium, siue resolutionem orationis atque interpretationem, appelles huiusmodi tuam incoptionem; quid causæ est, cur dicas Quintilianum (omitto ceteros) non esse assecutum optimum docendi genus, quia ab oratione non incipit? cum ipse pueros uelit etiam ab ipsis nutricibus discere sermonem? & dicat, nisi in eo, qui legendi & scribendi nactus erit facultatem, grammatico locum esse? quod tamen nostris temporibus seruari non potest. siquidem, ut supra dixi, Latina lingua, & Græca aliunde non petitur, quæ a Grammaticis & libris ipsis Græce & Latine scriptis; ita ut non ab ipsa oratione, quam non dum pueri intelligunt, Græca & Latina, sed ab ipsis dictionibus rebus appellandis Græce, & Latine ipsis, uelimus nolimus, auspiciari oporteat, siue componere orationem, siue scriptores intelligere, doceamus ipsos pueros, reddendo singula uerba

Græca

Græca & Latina singulis nostratibus pueris ipsis cognitæ & intellectæ: quemadmodum Aldus Viues, Linacer, & reliqui tam Græce, quam Latine docti faciendum docuerunt. contra quos ne in eo quidem, quod agendum esse contendis, quidquam iure dicere potes; nisi esse ab ipso toto incipiendum. quod cuiusmodi sit, neque tu uideris scire. Si enim scires, non utique dixisses: si oratio, quæ uoce profertur, concreta ex litteris atque est compacta; & si animal genus aut nihil est, aut aliquid posterius: contendam cum quouis proficiente litteras etiam deposito pignore, quod hi uiri non sunt assecuti optimum docendi genus, quia a litteris & partibus orationis initium sumpserunt; & similia: sed dixisses potius, quod illi, qui ab oratione initium docendi faciunt, quorum tu unus es, immo solus, inde exordiuntur docere, unde nihil disci potest; & quod ea re in pessimo docendi genere implicati sunt, quia ab ipsis partibus orationis non incipiunt, hoc est, a nominibus, quæ, ut ait Plato, sunt rerum naturas docendi discernendique instrumenta; & a uerbis, quæ per tempora & personas declinabilia uel actionem uel passionem significant; atque a reliquis partibus, quæ syncategoremata licet appellare: ex quibus omnibus totum ipsius orationis corpus conficitur. quid enim similitudinis habet aut commune

mune

## S. FOLIANI

mune Animal, uel uniuersum genus cum oratione aut sermone Græco & Latino, quod a compositione & significationem spectet? nam & Animal, ut genus, uel uniuersum genus est notio ad plures differentias pertinens; uel uniuersum, siue genus est quod in formas sine ullius prætermissione diuiditur: oratio autem non diuiditur in nomē & uerbum ac partes reliquas, ex quibus composita est, tamquam genus in formas; sed tamquā corpus compositum in suas partes. Et Aristoteles in primolib. de Anima, cum ait uniuersum animal aut nihil esse aut posterius (quod tu in tuā epistolam transtulisti, nihil ad rem faciens) inuit animal uniuersum (de animali enim duobus modis uerba possumus facere, uno, ut est unum multis commune genus, & intelligentia tantum comprehenditur; altero, ut est animal in rerum natura) aut nihil omnino esse, aut, si quid sit, id esse posterius: sicuti alia, quæcumque de multis dicuntur: quamquam Plato animal uniuersum in rerum natura esse & prius uideatur dicere. quod si naturam animalis accipimus, ut non est communi nationi subiectum, aliquid procul dubio est ac prius, quemadmodum quod esse potest eo prius est, quod est re ipsa, hoc est, ut uulgo dicitur, in actu. quæ quoniam ad nostram rem nihil faciunt, tu sponsonem non uincis, dum contem-

dis

## EPIST. LIB. V. 110

dis cum proflentibus litteras, deposito pignore; sed uictus discedis. quandoquidem, etsi animal uniuersum aut nihil est, ut inquit Aristoteles, aut posterius; & ad definitionem uniuscuiusque rei uel speciei oportet habere bene cognitum genus, in quo ea sit; tamen nomina & uerba, quæ sunt orationis præcipuæ partes, quemadmodum sunt priora oratione, ita prius etiam nobis cognita esse oportet, si orationem habere cognitam uolumus, (quod tu negas) & ipsa oratio totum quoddam est, & posterius quidem, ut animal genus; sed illa nihil ad nominis & uerbi cognitionem ac definitionem opus est, uti contra omnino, ad definiendam animalis speciem aliquam, genus animal adhiberi oportet. quæ nisi ita haberent, neque nomen & uerbum, quin orationem adhibeamus, possemus definire; neque Aristoteles tuus recte dixisset, Nomen & uerbum esse uoces ex instituto significantes: cum potius (tuo iudicio) debuerit dicere nomen & uerbum esse orationes; sicuti dicimus, Hominem, bouem, equum, leonem esse animalia. quod nemo, nisi tu, litteratus dixit umquam; & in eo, quod niteris demonstrare, argumentis utere uel prorsus alienis, uel nihil efficientibus, quod sit us consequens, quæ proposueras. quid enim interest, utrum dicas, si animal uniuersum aut nihil est, aut posterius;

oratio



oratio etiam aut nihil est, aut aliquid posterius: an contra? nihil mediis fidiis: cum nihil eorum, quæ uelles demonstrare, ista ratione concludas. uelles enim arguere, orationem propterea notiorum esse, quam parteis, quod sit quoddam posterius illis; perinde, ut genus notius suis formis, quod ad definiendas illas adhibetur. Atqui ostensum iam fuit, Milane, longe diuersam orationem esse à generis eiusmodi ratione. at si dixisses, quod te decebat magis; si necesse est, ut, qui cogniturus est aliquod compositum, prius habeat eorum cognitionem (Aristotele ac Platone summis philosophis, ut testatur etiam Philoponus, auctoribus) ex quibus compositum ipsum effectum est; orationem quoque, qui intelleturus est, uerba & nomina, ex quibus illa componitur, prius cognita eum habere debere: nullum esset in argumento uitium, & ex propositis efficeretur aliquid, & consequens esset. Quam in sententiam uenire, animum si inducti, Milane. Apostoli, illi meæ orationi non reclamabis; in intelligendis & discendis linguis uidelicet Græca & Latina a partibus simplicibus ad composita, ab elementis ad ipsum compositionis corpus, id est, ad orationem pergendum esse; sicuti ante nos facere instituerunt doctissimi Ludimagistri; & te, cum dicis ab oratione & toto incipiendum esse, nescire quid dicas, non inuitus

uitus confiteberis. Rationem igitur, quam nos tenemus, & docendi genus usu receptum rectum & comprobatum, nisi tu quoque sequaris; nihilo plus efficies, quàm si operam dederis, ut cum insania sapias, uel sine ratione ratione utaris. In quo quod a sapientibus dissentis, te inscium arguis esse. quo argumento Plato dixit, nullum esse inscitiae euidens. Et hercule, si potest fieri, ut absque arte grammatica, & non cognitis principiis & partibus orationis recte & emendate loqui, idq. celeriter assequi et præstare possimus tam Græce, quàm Latine, quod Quintilianus & periti omnes non posse fieri testantur: ne tu in calum ferendus es, illis doctior, qui iniusti rationem & reperisti uiam multo expeditiorem discendi & docendi; frustra q. Grammaticæ adiuuenta est, quam, sicuti ceteras, ait Aristoteles ad hoc inuentam, ut naturam adiuuet, & faciendi præcepta (utur Ciceronis uerbis) & uias errare non patientes nobis tradat. Hoc cum ita sit, non tamen laudo eos, qui omnem ætatem conterunt ijs discendis, quæ a quibusdã grammatici auctoritatem ementibus sciolis præscribuntur, uel curiosius, quam sit ex usu, artis præcepta quasi mysteria, exquirunt: quorum utrumque officit ad alias artes tendentibus: sed omnia mediocriter ut fiant auctor sum. Atqui iam satis superq. ex his cognoscere potes, utrum tu,

tu, a quo pueri nihil, nisi ignorantiam litterarum possunt discere, cum sine litteris litteras te docturū profitearis, & in docendo ordinem teneas, quo ne ipsæ quidem litteræ umquam recte cognoscuntur, perturbatione ordinis pecces, quem tenere debent, qui docent litteras, de quo nos reprehendis; an nos, qui eum maxime conseruamus, & conseruandum contendimus. nam cum perturbatio ordinis ea sit, quando aliquis, (utar uerbis D. Thomæ Aquinatis, ut, si ratio locum in te habere nequit, auctoritate mouearis) dispositionem quidem habet aliquam in cognoscendo, sed corruptam, quia uel ignorat in una quaque re principia, uel contradicit, & propter pertinaciam in omnibus demonstrationem querit: tu, qui principia in docendis Græcis Latinisq. litteris negas, & contradicis, & opinionem tuam doctrinæ & arti pertinaciter anteponis; ordinem perturbas. nos contra omnino, quippe qui certū ordinem tenemus rectamq. rationem in docendo sequimur, quam eruditi præstantesq. magistri probarunt quemadmodū in habita a me oratione, eaq. epistola, quam ad te in hanc ipsam sententiam scripsi annis ab hinc tribus, demonstratum fuit. Et ne quid amplius desideres sic habeto, non aliter omnem eruditionem nō ab eo, quod natura prius ac remotius est, ut tu præpostere facis,

cis, sed quod apprehensu intellectuq. apertius, instituentam esse; quam omnis corporum educatio a lacte cunisque initium ducit: neque animorum imbecillitatis minorem, quam corporum habendam esse rationem. Siquidem rerum omnium formas, quas Plato appellat ideas, etsi continent (ut testantur Platonici) humanæ mentes: tamen illæ nihil magis postulant, quam a notioribus ut erudiantur. Quamobrem ars ipsa, quando duobus quidem modis accipitur, uno, ut uersatur in materia aliqua, altero, ut intelligentiam comprehenditur; nullo principio commodiore uti possumus, quam si a partibus, id est, a litteris, syllabis, ac dictionibus, quibus tota scribendi & loquendi materia, uniuersaq. benedicendi facultas subministratur, incæperimus: tum quia præmonstranda est ipsa ueluti prima materia, quam mens artifex quasi quidam exprimendis sensis effingat & formet; cum nihil, quod sensu percipiatur, fieri possit, nisi aliqua in materia expressum: tum, quia quæ sensum mouent corporata longe facilius cognoscuntur, uti ex ipso Aristotele supra ostendimus. Hactenus de re. Ad reliqua, quæ undique corrogasti, quia tam sunt aliena, quæ tu es, ab ipsa docendi methodo: nihil respondere debemus. Itaque finem scribendi ad te facio in præsentia; hoc uno contentus, ut boni uiri scripta

pta mea cum tuis conferentes intelligāt, te in ob-  
treſtando tanta petulantia uti, quanta mea est in  
te refutando moderatio atque modestia. Vale.

Ioanni Mariæ Ecclesio. Ticinum.  
Epist. II.

**T**AM multa me tuis in litteris delectarunt,  
ut, quid maxime, non statuerim. quæ enim  
de Ferrarij incolumitate, de ægritudine lenienda,  
de tuo in me amore pæne singulari luculenter scri-  
psisti; tametsi Ferrarium periculo liberatum ab  
alijs audirem, & ipsa me dies leuaret, & tua in  
me benevolentia testimonio non egeret: ea tamē  
a te etiam confirmata dulci quodam modo me af-  
fecerunt. Tibi uero ad legendum & scribendum  
tantum otij suppetere, ut eo uno tua incommoda  
lenias; id me effert incredibili lætitia. nam sp̄e  
non dubiam ostendit, te cum litteris sæpius me-  
cum collocuturum, quo nihil mihi iucundius esse  
poterit; tum præstantis ingenij tui aliqua monu-  
menta ad fructum communem, tuiq. nominis me-  
moriam aliquando præbiturum. in quo ipso tibi  
magnopere gratulor, non eandem tuarum, atque  
mearum rerum conditionem esse: cum tu, quod  
damni in illis facis, id iucundissimo studiorum fru-  
ctu sarcias; ego quasi in pistrinum detrusus labo-

re

re operoso & molesto frangar, parua mercede,  
nullo certe fructu studiorum. quem enim fructum  
capiam, si quo tempore ceteros labor ad quietē  
uocauit, in eo etiam interpellor? Tantum abest,  
ut, quemadmodum tu speras, euolare alius pos-  
sim, ut, si qua sum condicione, ea mihi maneat,  
præclare mecum agatur. ita sunt mihi omnia ad-  
uersa: quibus tamen inueteratis sic consuetudi-  
ne obdurui, ut quæcumque acciderint, æquissimo  
animo laturus sim. Hæc adspersi, ut, quam mi-  
hi tuis litteris adhibuisti, consolationem, cum  
multum proficere potuerit, nisi mea iam usu ipso  
patientia percalluisset; non solum gratam, sed ual-  
de iucundam fuisse intelligeres. De qua non ago  
tibi gratias, ne, quæ abs te in me conferuntur,  
tua magis, quam mea uideantur. nosti enim  
Κοινὰ γὰρ τὰ τῷ φίλῳ. ad ea, quæ quæris, ue-  
nio. Memini me istic, cum fortuito de cognomi-  
ne tuo sermo incidisset, dixisse Ecclesius, non Ab  
Ecclesia dicendum Latina forma: uerum cum id  
tibi minus probari uideretur, nolui postea te ne-  
que Ecclesium, neque Ab Ecclesia; illo quidem,  
ne te offenderem; hoc uero, ne inducerem alic-  
num; sed Giesium, ea ratione, de qua in alijs lit-  
teris scripsi, appellare. nunc autem, quando il-  
lud primum maxime placet, nihil quod immutes,  
uideo, præsertim cum ἀναλογία non desit, nec

P

ἐτῦ-

ἐτυμῶν aduersetur . De Scrophis, Galbis, & reliquis id genus dictum uolui ; nisi Giesius , & Ecclesius probarentur , illorum imitatione , quibus Galbæ , Scrophæ , & similia cognomina in A, terminata, addita fuerunt , te non Ab Ecclesia , sed Ecclesiam potuisse appellari : quamquam illorum nominum aliam rationem fuisse, nō me fugeret . Hactenus ad uarum litterarum argumentum : quarum de purissimo atque elegantissimo sermone , ne quidquam tuis auribus dari existimes , quod me prætermittere meum de tua laude studium non patitur, tantum dicam ; ex ista puritate & elegantia orationis tuæ , cum & ingenij acumen summo iudicio coniunctum, & diuinam eorum, quæ apud optimos auctores legisti , memoriam tuam indicet ; eximiam tibi immortalēq. gloriam propositam esse . quam obsecro te, Ecclesi mi, ne tibi alicuius rei incuria eripi sinas . Consequeris, mihi crede, illam , si otium istud omne , quod tibi datur , & diuturnum erit , & in hoc exercitationis genere consumetur : quorum alterum tibi optandum est ; alterum , quod in te est situm, ut facias , quamquam te nullius cohortatione indigere ex prudentia tuarum litterarum perspicio ; meus tamen in te fraternus domesticusq. amor me cogit rogare . Scribenti mihi has litteras altera tuæ a Papiensim Tabellario al-

lata

lata sunt Nonis Octob. scripta : in quibus dicis te mirari , cur homo tui amantiſſimus ne uerbo quidem significauerim , qua de re ad Ferrarium scriberem : ego uero putauī , me ijs litteris, quas sermone patrio scriptas ad te dederam, coniectas in eundem fasciculum , id planum fecisse . quod tamen, quia cura impeditus , ut uideo , non feci , neque apertam misi, ut posses legere, eam epistolam ; a te peto , ut mihi ignoscas, præsertim tum existimanti in ea nihil esse, quod tu admodum curares . quærellam enim meam , nihil præterea , continebat . De Rasario tam cupio , quam quod maxime ; sed nihil audio prohibitus exire domo, quoad unus ex nostris pueris , qui in morbum sexto ab hoc die inciderat , conualuerit . Barchino statim, quemadmodum uolebas , reddidi epistolam . Vale .

\* . . Pro Adolescente quodam .  
Epist. III.

TANTVM abest, ut ullo umquam tēpore eiusmodi quidquam in me admissurus sim, quapropter patruī nostrī uiri optimi, optimeq. de nobis meriti uoluntas a me alienetur, ut, cum in omnibus rebus, ad quas me tuæ illiusq. litteræ incitare uidentur, quantum possum, elaboraro ; plus

P 2 etiam,

## S. FOLIANI

etiam, si fieri poterit, uelim in eo contendere, quo omnem, quantum in me erit, non solum patrum ipsius, sed ceterorum amicorum offensionem effugiam. quid enim mihi antiquius esse debet, & potest, quam in quo res mea agitur, in hoc illi ipsi, cui tantum debeo, tum obsequi studere, tum si forte facultas mihi defuerit, satisfaciendi saltem non defuisse uoluntatem, declarare? sed uelim credas, carissime frater, si quid de me ad uos delatum est, id communi puerorum errore a me fuisse factum, cum praesertim in eo loco fuerim, ubi liberius uiuendi potestate permissa, adolescentes uitiorum illecebris facile irretiri consueuerunt. a quo cum hanc in urbem ad longe diuersum uitae genus, ubi litterarum & uirtutis studia maxime coluntur, singulari quadam eiusdem praestantissimi uiri (tuis uerbis utar) patrum nostri humanitate traductus tandem fuerim; confido fore, ut breui, Deo propitio, quae culpa mea antehac contracta sunt, & eorum, quibus in disciplinam traditus sum, praecipis, & . . . fratris patrum nostri, cuius uitam ad imitandum, quasi ueteris sanctitatis exemplum, ante oculos positam habeo, quotidianis admonitionibus omnia corrigantur. De quo te iure letari, quod scribis, paullo minorem ex ista tua letitiae significatione, quam ex commodis meis cepi uoluptatem. Cui quamquam

## EPIST. LIB. V. 115

quam molestiae plurimum adpersum est, propterea quod uos timere, ne rebus uestris, si ipse in patrum offensionem cecidero, detrimenta adferantur, ex tuis litteris intelligebam: ea tamen spe, quam in extremis illis ostendisti, me, ubi de diligentia mea & in uirtute propensione patrum exploratum fuerit, uberiores in dies fructus percepturum, ualde erigor, & sustentor. haec autem spes ne me uosque omnes, qui de rebus meis solliciti estis, umquam frustetur, omni studio cura & diligentia, quemadmodum me mones, ut faciam, providebo. Extremum illud erit; te etiam atque etiam rogo, mi frater, ut ipsi . . . fratri non solum salutem meis uerbis dicas; sed polliceare etiam, me uobis omnibus (quod tibi uelim persuasum esse) quo ad eius fieri poterit, obtemperaturum. Vale.

P. Iacobo Darmelo. Epist. IV.

QVAE de tua praestanti tum eruditione, tum probitate tuarum laudum praeco Hortensius Bellingerius saepe mihi narrauit; ad te cognoscendum, meamque beneuolentiam deferendum iam pridem inuitarunt. itaque constitueram, ubi per occupationes liceret, praesenti sermone hanc in te uoluntatem meam tibi declarare. nam me, quae mei est ingenij forma rudis adhuc & impolita, in

litteras illam concludere non posse, satis scio: quã tu ex fronte ipsa atque oculis meis, qui indices (credo) animi mei tibi erunt certiores, multo melius perspicias. sed ne expectem, dum illud otium mihi tribuatur, hodie effecit, cum Angelus puer tuus, uel potius noster, qui te amicitie inter nos constituendæ, meiq. uidendi desiderio teneri, se audisse mihi nuntiauit; tum magis idẽ Bellingerius, qui mecum multa questus est, de maleuolis, tuam ab eo uoluntatem conantibus alienare. nam illos ait ad te detulisse, ipsum minus honorificos de te sermones habuisse mecum. quod tantum abest, ut probus adolescens & gratus fecerit, ut, cui maiorem, secundum parentes, quã tibi, obseruantiam se debeat, neminem mortaliũ esse confessus sit. Hac igitur oblata occasione, id nunc per litteras, quod coram maluissem, agere, unaque eundem adolescentem tibi amicissimum, falso accusatum, de ea re purgare; non alienum mea illiusq. in te obseruantia iudicauit. Et si enim tui similes, uoculas eiusmodi contemnere consueuerunt, quippe, Haud hominum uoces metuit, non ignea tela, Qui niueo mentem cinxit amore suam; etsi etiam animum non possum inducere, ut credam, te pium hominem esse commotum cuiusquam maleuoli sermone, ut de tuo erga innocentem, tuiq. obseruantissimum iuuenem amore

dimi-

diminutum esse quidquam uelis: quin tamen, dum meam in te obseruantiam declaro, maleuolorum etiam improbitatem, et ipsius Bellingerij tui querellam simul testarer, non potui facere. Tuum modo erit, ut, cum maiorem mihi, quem hæc, quæ tu colis, humanitatis studia ab improbis detraкторibus & inuidis maxime secernunt, habeas fidem; tum hunc ipsum hoc nomine, quia iniuria afficitur, adolescentem plus etiam diligas, carũq. habeas. quo nihil a te in me proficiscetur, quod mihi aut gratius aut iucundius esse possit. Vale, & hæc amicitie nostræ initia ueteris apud me uim habitura tibi persuade. Ex Academia Tægiana.

\* . . . . . Epist. V.

**I**LLUD decretum, quod factum est, ne inuentus in disciplinam illi tradatur, cuius uita & eruditio ijs, quorum officium est, aliorum mores exquirere, minus nota minusq. probata fuerit: qui ueris & proprijs generis sui laudibus nõ laudat, is profecto, neque quanta uis in institutione sit, in utramque partem, uel ad honestam uitam, uel ad turpem, scire; neque, dum sibi soli, quod appetit, id sit, etiam si cetera ruant omnia, laborare mihi uidetur. Equidem tam utile, tamq. necessarium decretum, ante quam fieret,

in primis optavi, factum uero seruari uehementer lator; in spemq. adducor maximam, quæ maleficia in scholis suscipi possunt, eorum facultatē aliquando omnē prorsus ademptum iri; ut post-hac cum doctis et bonis ludi magistris, qui malorum turba præmuntur, optime; tum iuuentuti ipsi multo melius consulatur. Itaque cum in id semper incubuerim, ut, cum meis me probassem ciuibus, ab exteris etiam tum priuatim tum publice doceudo bene audirem; ea res mihi optanti ita cecidit, ut apud quos fui, ab ijs Deo opt. max. approbante & iuuante summis laudibus fuerim ornatus. nunc quoque in hac Academia, ubi uitam reliquam agere, mihi est in optatis, quia & est in urbe orbis terrarum clarissima, & in ea urbe, in qua ueteris sanctitatis (Diuina enim Pro- uidentia atque Bonitate nobis præfectus est sacerorum antistites & magister Christianæ religionis Carolus Borromæus Cardinalis) exempla intueor; sic me gero iam annum docēs & amplius, ut mei officij rationem poscentibus alios, quam ipsius Academiæ præfectos, in illam testes non esse dandos existimem. Putidum enim est, ne ridiculum dicam, testimonium ab alijs petere, quam ab illis, qui ut ueritatis sunt amici, ita ei, in quē inquiritur, & uirtutis & uitij testimonia tribuere possunt certiora. Ex hac recte factorum conscientia

scientia cum illum meorum laborum capiam fructum, ut integritatem atque innocentiam meam iure in dubium a nemine uocari posse confidam: nuper tamen P. Paullus Folpertus se abs te audisse mihi exposuit, quosdam ad te de moribus meorum discipulorum quadam detulisse; quæ etsi parui quidem faciendæ sunt nullius culpæ mihi conscio; quod tamen uidentur conficta ab ijs, quibus mea, quantulacumque est, industria inuisa sit; (quid enim suspicer aliud, cum qui hic aluntur pueri, benemorati sint & ingenui?) ut & uita mea tenebras, cum alio modo non possint meludere, offundant; & suæ improbitatis te, si fidē eis habueris, quasi ministro, uiro alioqui integerrimo, ad me hinc exterminandum & eijciendum abutantur: uehementer, ut uerum dicam, ea re commotus sum. Quare hanc ad te epistolam dare, e mea scholæq. ipsius, ac præfectoriū dignitate existimauit: qua epistola primum tibi notior fierem; deinde te deprecarer, ne, pro ea persona, quam sustines, hanc Academiam fundatam præclare, optimeq. constitutam ac rectā, cuius dignitatem pro Dei gloria meis commodis antepono, quamq. pro mea parte bonis litteris & moribus adiuuare & ornare conor, ignominia afficias. afficies autem sine dubio, si plus fidei hominibus, qui animo sunt pusillo, & ipsa maleuolentia

leuolentia ieiuno atque inani, habueris, quam uiris grauibus & optimis Præfectis Academiæ, Patricijs Mediolanensibus: quibus quidquid non solum quotidie, sed singulis pæne horis agitur a discipulis æque ac a magistro, perspicuum est: apud quos cum calumniari isti iniquissimi homines, ne suam malitiam indicarent, noluerint; apud te, cui ignota sunt huius academiæ rationes, id ausi sunt facere; ut quem specie assimilata uirtutis tenent, eundem etiam falsi rumoris de ingenuis pueris sparsi, & in meum caput redundantis, auctorem habeant. Vale.

\* . . Pro puero quodam ingenuo.

Epist. VI.

**S**I quæ de profectu in litteris meo Pater uobis nuntiauit meus, tam uera essent omnia, quam ille optat; næ ego cum uestra, qui mihi res omnes bene euenire uultis, tum mea causa ex eo nuntio letitia afficerer. sed tu mihi Patruæ, quem longa uita, rerumq. plurimarum, harum præsertim, quæ ad studia litterarum pertinent, usus docuit; ipse considera, quid puer, nondum annos natus duodecim, in ipsis, quæ pono, rudimentis Grammatices præstare nunc possim. Tuas litteras Iulius Cæsar noster hodie, antequam eas ego legerem,

legerem, legendas præceptoris meo dedit: quarum etsi prudentiam ille quidem, me audiente, laudauit; quin tamen patrem meum de me somniasse, quod de se olim Ennius somniauit, repente factum poetam, ex ipsis tuis litteris se cognoscere, quis diceret, facere non potuit. Et reuera, ubinam sunt æquales isti, quos studio & diligentia antecello; cum omnes hic condiscipuli, ut ætate, ita ceteris rebus mihi anteeant? Quamquam enim magister & se de me bene sperare, & me in id maxime incumbere, ne spem, quæ de me est, fallam, patri meo dixit: ut tamen eiusmodi tibi opinio adferretur, ut, quas Latine scriptas litteras ad me dares, ijs me pari & stilo & uerborum (tuis uerbis utar) decore respondere posse existimares; faciendum non fuit. nam me, quæ exercitationis causa quotidie dictantur, breuissima themata calamo uix excipere, nedum ad tuas litteras rescribere posse, uel hæc male scripta epistola satis superq. declarat: quam ne scripsissem quidem, nisi ab eodem magistro (ingenuæ fateor) uerba inculcata fuissent. Verum, quando hæc a te scripta uidentur, non tam, quia uera putes; (quis enim de puero, qui nondum legendi & scribendi facultatem adeptus est, talia animum inducat credere?) quam, quod uelis esse ante oculos meos proposita, tamquam inuitamenta quædam



quædam laborum & uirtutis : ago tibi gratias ,  
 Patruæ humanissime atque optime, quam possum,  
 maximas : qui quibus artibus ad humanitatem  
 ætas puerilis informati solet , quas arteis a te di-  
 stractus ipso doceri non possum, earum me ad stu-  
 dia litteris saltem adhorteris ; ut quid non solum  
 me discendo , sed doctorem etiam meum , cuius  
 in manus deuenturas illas ratus es, docendo præ-  
 stare oporteat , testatum sit . In quo quidem ip-  
 so, quod ad discendum attinet , dabo operam , ut  
 uestris optatis mea diligentia respondeat ; quod  
 uero ad scribendas epistolas spectat , antequam  
 ipse tantum profecero , eas ut dare possim , quid  
 efficere ualeam, tu maxime omnium uides : nisi  
 præceptor , cui tantum otij, ut mihi separatim ab  
 alijs hanc tribuere operam queat , non datur, eo  
 fungatur munere . quod ipsum ab homine occupa-  
 tissimo, & nostri alioqui studiosissimo non æquum  
 est postulare . Vale, & ab omnibus , quos tuo  
 nomine, quemadmodum uolebas, salutauit, salue ;  
 & patrem , patruos , & fratres patruales meos  
 omneis ualere iube .

\* . . Pro puero alio quodam.

Epist. VII.

**A**TE scire uelim mi frater carissime, num idē  
 sit doceri & discere ; ac qui docentur, num  
 semper

semper discant . nam hoc mihi non dum contigit :  
 licet sextum iam annum per totos dies scribendi  
 rationem sequar , atque Grammaticæ studia ( ut  
 tu loqueris, quasi alia sit scribendi ratio , atque  
 Grammatices studium, quod ego ignoro) edocer.  
 Certe quidem siue tradentis magistri , siue mea  
 culpa sit, tentando nec hilum proficio . quid fron-  
 tem contrahis ? non mentior . nihil inuita Miner-  
 ua discitur . quam si mihi propitiam reddideris ;  
 non iam meam, sed tuam dixero . quod ut facias  
 uehementer te rogo . etenim uideris posse : qui &  
 facis quidquid uis illa non inuita ; & me idem fa-  
 cere iubes . sed de tuo in me studio , atque hac  
 egregia uoluntate cum libentissime ago tibi gra-  
 tias ; tum si feceris , quod peto , multo libentius  
 referam . Hæc de meo ingenio, & in litterarum  
 studijs progressu : ad reliqua accipe . Hortaris tu  
 me quidem, immo rogas, ut quoquo modo possum,  
 latine ad uos scribam . Vis scilicet uestem nudo  
 detrahere . quid si ne uersum quidem possum scri-  
 bere , nisi a magistro inculcatum ? qui tamen is  
 non est, qui Psittacos aut Picas possit loquentes  
 facere : quamquam ut aliquid nostro amori da-  
 ret, & has ridens, & superiores ab his longe di-  
 uersas litteras mihi dictauit . Reliquum est igi-  
 tur , ut, cum aduersantem mihi ac repugnantem  
 naturam apud te accussem ; tu me apud patruum  
 excu-

## S, FOLIANI

excuses: cui quoniam in hoc studio litterarum, quamuis cupiam, non possum; ceteris profecto in rebus, quibuscumque potero, omni opera & amore enitar, ut cumulatissime satisfaciam. Vale.

Antonio Mariae Venusto. in Noricum.  
Epist. VIII.

**E**X ijs litteris, quas ex Norico VI. Nonas Maij ad Franciscum Robustellium a te scriptas, ille IX. Kal. Sextil. accepit, quibus de tuo statu certiores facti sumus; incredibilem ego uoluptatem cepi: quod quidē ipsum facilius ex mei in te amoris magnitudine potes metiri, quam ullis ex litteris intelligere. Cum enim nulli de te nūtz ad nos iam diu adferrentur; neque tu, quo con-sedisses loco, ad tuorum quemquam scriberes: ne quid tibi humanitus accidisset, uerebatur. Itaque, quoniam hac me cura de te uehementer sollicitum habebat; quid gratius atque optatius, quid dulcius & iucundius, quid omnino, quod omneis animi mei parteis maiori uoluptate perfunderet, mihi accidere potuit, quam ex te ipso, hoc est, tuis ex litteris, cognoscere, te non solum uiuere, sed istic exercentem medicinā & quiete libereq. & in laude cum uxore lectissima atque optima uiuere?

## EPIST. LIB. V. 120

uere? non potui, nec potero umquam, Venuste, illa, quæ me ad te colendum & amandum initio nostræ amicitia incenderunt, obliuisci summa in me tua necessitudinis officia, suauissimos mores, ingenium, bonas artes, religionem, fidem: & quamuis nimis acerbe nobiscum fortuna egerit, quæ nos a nobis, quo tempore tibi a me aliqua referenda fuerat gratia, distraxit; (namque ego rerum mearum tenuitate coactus Casale, tu mox Bononiam ad excolendum philosophia ingenium profectus es) ut postea ego quidem graui morbo per annos octo totos in lecto iacuerim affectus; tu uero longe ab Italia discesseris: nulla tamen malorum acerbitas tanta potuit esse, nulla neque loci neque temporis longinquitas, quæ uel meam tui memoriam deleteret, uel de summo meo in te amore quidquam detraheret. Nunc etiam, cum tuæ ad Robustellium litteræ maxima me lætitia afficiant; neque modo tua, sed (uerum fateor) mea quoque causa gaudeam (spero enim me aliquando tecum uicturum; itaq. in partem etiam tuorum me bonorum conyicio) non possum, non & gaudium meum his tibi litteris notum facere, & de meo statu perscribere; ut, si quid in te amoris erga me residet, (necesse est enim, nisi qui eras, esse desisti) tuum mei, adhuc uiuentis, quæ mortuum fortasse es suspicatus, desiderium lenia-

S. FOLIANI

tur, ac memoria quasi renouetur. Casali igitur cum annos VII I. integros morbo difficili laborassem, inde primum Mantuam, ubi Principis medicus sic me leuauit, ut Deus mihi aliquis medicinam uideatur fecisse, conductus, primarios quosdam ibi adolescentes docui; quo deinde munere perfunctus, & huc reuocatus, in Academia Taegiana, quæ est ad Diui Simonis, iuuentutem erudio, satis magna mercede, & cum dignitate; ut me, cum euolare altius meæ angustia passæ non sint, huius tamen fortunæ non nimis pœniteat. non duxi uxorem. quid enim ducerem, in tanta cum rerum tenuitate; tum corporis mei imbecillitate? sed de statu meo habes: redeo ad tuum; qui talis ut sit, quem fortunæ temeritas labefactare nequeat, & opto, & Deū ita precor, ut magis ex animo pro me precari non possim. Hoc enim mihi dabis, ut, cum tui amantiſſimum esse me tibi persuaſeris, in te expetendo, & tibi omnia secundissima optando nemini concedam. Vale.

Primo Comiti. Herbam.  
Epist. IX.

EX Ioannis Antonij fratris tui uiri boni & non illitterati obitu magno dolore te fuisse affectum,

EPIST. LIB. V. 121

fectum; qui non putat; eum ego nihil in homine humani, & quod fieri nequit, hominem prorsus hominem non esse, existimare, ut credam, facile adducor. atque, ut prudentiam, & cum hac animi quam dicunt altitudinem tibi inesse, tam mihi sit persuasum, quam quod maxime: si quis tamen iustissimum dolorem tuum, cui resistere, nisi sensus plane expers, non potuisti, fratris carissimi morte non esse commotum; tuo isto animi robore & magnitudine confisus, dicere non dubitet, ei nullam omnino habeam fidem. Quare te doluisse, quantum humanitas amorq. in fratrem tuus postulauit, iudicauit; ac non solum illius interitum ægre tuli, sed quem ex eo dolorem te hausisse sum arbitratus, magnopere etiam ipse dolui. sed quid agamus: cum ea lege nati simus, ut, cum uitæ imperatori, hoc est, Deo libitum fuerit, de hac uitæ statione decedere non recusemus? Qua in re tamē cum fratre tuo præclare esse actum, cui, quod paucis contigit, ut, cū uita ei acerbior propter morbum, & ipsam senectutē esse cœperat, cum illa apud suos honestam mortem commutaret, non minus ceteris, quam suis desideratus; equidem de hoc cum illius mortui manibus gratulor; tum Deo opt. max. maximas ago gratias: quem oro supplex, ut nobis eiusmodi, quem fratri tuo attulit, mors exitum  
Q adse-

S. FOLIANI

adferat. Hac breuiter ad te; non tam uti dele-  
rem molestiam, cum uel dies ipsa, quam te non  
expectasse, sed tua sapientia ei rei occurrisset, ex-  
ploratum habeo, medicinam adferre potuerit:  
quam ut intelligeres, me cogitantem de tuo qui-  
dem mœrore dolorem, de sapientia uero in me-  
dio dolore uoluptatem accepisse. Vale.

Ioanni Baptist. Rafario. Ticinum.  
Epist. X.

**T**RISTES de interitu tuo, sed tamen falsi,  
nuntij, quibus bonarum artium studiosi om-  
nes maxime commouebantur; me ita affecerant,  
ut neque mœstitiæ resistere, neque dolori possem.  
ad communem enim mihi cum ceteris mœroris  
& tristitiæ causam accedebat non solum obser-  
uantia & præcipuus in te amor meus, tuæ do-  
ctrinæ elegantis fama et opinione commotus, sed  
illius quoque diei recordatio, cum me tuam ami-  
citiæ expetentem summa humanitate compre-  
hendisti, atque iniusti rationem, quemadmodum  
temporis formidolosissimi tempestate iactato por-  
tus mihi aliquis & perfugium pararetur. Cuius  
quidem rei memoria, quo te incolumi iucundior  
est mihi, hoc mortuo acerbior fuisset. his igitur  
de causis cum in mœrore iacerem, ecce alius mihi,  
immo

EPIST. LIB. V. 122

immo bonis omnibus exoptatus nuntius uenit, te  
non modo non obiisse, sed ex morbo etiam diffi-  
cillimo, in quem incidisses, conualuisse. quapro-  
pter a summa tristitia atque acerbitate cōfessum  
deductus et Deo opt. max. egi maximas gratias,  
& per epistolam, cum coram non liceat, tibi gra-  
tulari, meamq. de tua incolumitate lætitiæ no-  
tam facere alicuius amicitia nostra non sum ar-  
bitratus. Verum ne multis uerbis tecum nunc  
agam, me uidentur admonere rationes pristini  
studij tui: ad quod tu tamen, qui sapias, te non-  
dum fortassis plane recreatum referre non debes.  
Vale.

Srephano Bernardio. Epist. XI.

**P**OETAS ueteres tum Græcos, tum Latinos, qui  
fabulis, tamquam illecebris quibusdam, quæ  
ad uerum exquirendum adolescentis traherent,  
τὴν ἡδονὴν, καὶ φουρικὴν obtexerunt, nullius doctri-  
næ fuisse expertes, nemo, qui sapiat, non intel-  
ligit, mi Bernardi. quamobrem nemini mirum  
uideri debet, grammaticum, cuius est munus om-  
nes bonarum artium scriptores interpretari, ab-  
solute doctum in omnibus disciplinis oportere es-  
se, & pane infinitam, ut inquit Cicero, uim &  
materiam scientiæ & cognitione comprehendere.

Q 2 Illud

Illud potius mirandū tam multos fuisse, qui Grāmaticos se professi nihil minus, quam quod professi sunt, præstiterē. ut enim omittam, quæ in oratorum atque historicorum libris oscitanter legendis percurrerunt, quid illos in poetis interpretandis fecisse dicam? ubi, quæ uel ipsis quidem pueris cognita sunt, explanandis totas paginas complent; quæ uero ex philosophia sumpta de industria poetæ integumentis inuoluerunt, ut exquirendi labore in memoria magis hæerent; de his isti nullum uerbum faciunt. hoc cum sæpe alias aliorum poetarum carmina, ipsorumque interpretes, tum proxime Ouidij Metamorphosin, & quæ extant in eam omnes omnium grammaticorum, in primis Raphaelis Regij enarrationes, & Laëtantij Placidi periochas, quo in loco de Clytia in Heliotropium conuersa agitur, legens animaduerti. nam quod ad Poetæ scopū attinet, & explanationis maxime indiget, id totum omiserunt; quæ autem erant perspicua, ea multis uerbis inculcarunt. Proinde tu, qui & philosopharis, & grammaticus es, meo dabis hoc amori, ut cū primum una erimus, quid sub fabula maximi Clytiæ amoris erga solē poetæ uelarint, mihi, ut alia soles, luculente dicas. Vale.

Eidem.

Eidem. Epist. XII.

QVONIAM eius fabulæ, de qua hesternodie a te quæsiui, eam fecisti interpretationem, quæ a me quidem probetur, sed non omnia explicet, quæ ad physica pertinent; accipe quid ipse de illa putem. Non te fugit, hunc mundum inferiorem, quemadmodum ait Aristoteles, cæli uiribus esse subiectum, ut hæc terræ ceterorumque elementorum moles, atque cuncta sub luna posita, præter hominum animas, qualitatibus affecta cælestibus, ab eisdem regantur; hoc ipsum uirgulti illius, in quod Clytiæ mutata dicitur, natura significare mihi uidetur: quippe cum nomen eius ἀπὸ τῆς πρὸς τὸν ἡλιον τροπῆς sumptum sit, quia percurrentem solem quoquo uersus suis aspectibus prosequatur. quin etiam Teophrastus tradit, flores loti Aegyptiæ sole occidente comprimi, lotumque ipsam sub aquis, quando sol sub ima terra tegitur, contegi; oriente autem eodē, mox aperiri, & ex aquis, simul ac sol supra horizontem surgit, exsurgere. quæ res hæc etiam inferiora, ut dixi, a superioribus, & terrena a cælestibus moueri demonstrat. neque uero hoc ipsum Plinius non existimauit, cum quasdam herbas cum stellis Vergilijs & oriri & occidere; et

Q 3 eodem,

## S. FOLIANI

eodem, quo *Stellas* nomine appellari scripserit. atqui hunc mundum inferiorem superiori illo gubernari, sic iubente Deo optimo max. non solum eiusmodi herbarum natura, sed innumerabilia alia significant: quæ, ut omittam, quid dicam de magnete lapide, qui a poli *Stellis* tanta vi cõuertitur, ut perpendiculum in pyxide, qua nauigantes utuntur, magnete illitum, in nostro quidem hemisphærio a Fortunatis insulis (ut refert *Fracastorius*, a multis obseruatum) ad *Calygaram* dextrorsum; in altero uero hemisphærio sinisterorsum declinet? sed hæc quidam philosophi ad fatum & immutabilem rerum cunctarũ euentum persuadendum referunt: de quo Nos Christiani, & recte quidem, minus solliciti sumus, omnia Dei optimi max. qui naturæ dat leges, & homini liberam alioqui uoluntatem tribuit, imperio subiicientes. Ad fabulam redeamus. quæ de *Clitiæ* ieiunijs, lacrymis, & pallore *Naso* memorat, amantium affectiones, nempe zelotypiã, indignationem, et, qui ex timore et dolore nascitur, pallorem, qui color uulgo etiam amantium proprius dicitur; clarius indicant, ut tu quoque scribis, quam ut explicatione cuiusquam uideantur indigere. quæ autem in extrema fabula inquit, illa suum, quamuis radice tenetur, Vertitur ad solem, mutataq. seruat amorem; id quod initio dixi,

## EPIST. LIB. V. 124

dixi, hæc inferiora corpora moueri a superioribus semper, & in quamcumque formam se induerint; quæ in terris gignuntur, ad ea uim cælestẽ pertinere significant. Vale.

## \* . . . . . Epist. XIII.

QVASI uero cælum & mundum philosophi cis rationibus probari non esse dissolubile. negauerim; bene longas de eo ad me litteras dedisti: in quibus pæne quereris, te a me fuisse inficitum & condemnatum. quid autem dixi? nisi, cū tu illud falsum esse clamitares, Mundum esse dissolutioni obnoxium, (quam ego rationem induxeram, hoc modo argumentans: si eadem est ratio omnium partium, quæ totius, mundi autem parteis quotidie interire uidemus; illud ex his ratione concluditur, etiam ipsum esse interiturũ; cum (inquam) hoc falsum esse clamares; memini me dixisse, te in eo dialecticam rationem uel non assequi, uel certe non sequi. Itaque mihi faciendum fuit, ut tibi nunc breuiter responderem; me neque ratiocinatione ea, quæ alioqui possem, confirmare uelle, cum ad tuam sententiam, quæ est *Ethnicorum* sententiæ accommodata, faciant: (tuum enim est, mea prius refellere, & contrarium inducere) neque dixisse philosophos cælum

dissolubile esse opinatos: cum nihil eis fuerit tam persuasum, quam æternum illud esse; sed ex ueritate Christiana, atque adeo ratione ipsa, quæ omnibus omnium philosophorum sententis est anteferenda, cælum & mundum probari dissolubile esse. quin etiam, si est corporeus materiaq. & forma constat, compositum etiam esse necessariò fatendum, & propterea interiturum. Quid enim uerba Esaiæ significant; cæli sicut fumus liquefcent? quid Davidis, opera manuum tuarum sunt cæli, ipsi peribunt? Et D. Petri Apostoli, Quales oportet nos esse in sanctis conuersationibus & pietatibus, expectantes et properantes in aduentum diei Domini per quem cæli ardentes soluentur, & elementa ignis ardore tabescent? Et, ut in pauca uerba conferam; tantum abest, ut aliorum ex cõtemptu, (quo tu me crimine infirmulas) laudem aucupari uelim; ut uideri non tibi solum, sed tuis philosophis omnibus indoctus malim, quam a Catholica ueritate, hoc est, Christiana persuasione, in qua acquiesco, uel transuersum umguem discedere. Vale.

\* . . Eidem. Epist. XIV.

**E**T SI nulla ratiocinatione ea confirmari possunt, quæ mihi proponis; (quid enim probabile

bile ex re absurda & falsa elici potest?) neque quidquam pensi habeo, tibi ne doctior, an contra uidear: (non equidem ægrè fero, qui sum, eum haberi me; is enim sum, qui, dummodo illis, quibus operam do, mea, quantulacumque est, industria ne improbetur; neque rumusculos imperitorum hominum aucuper, neque istam, quam tu plurimi facis, umbram falsæ gloriæ consecr) tamen, ut aliquid tibi dem, induxi animû facere, quod me, ut faciam, rogas; quò te quasi religione officij obstrictum teneam, non ut doctus tibi uidear, qui mihi conscius sum in hoc ipso minime probatum iri. Accipe igitur, Tuus Pythagoras apud Ouidium ostēdit, hominem scelus admittere, cum carnibus uescitur; propterea quod & terræ fructibus possit contentus esse; & ex esu carniū nefaria libido exoriat. ex cuius sententia sic ratiocinor, quod ad formam attinet reete, quod ad ueritatem, male: si scelus est uesci carnibus; homo qui uescitur carnibus, scelus admittit; uescitur autem carnibus omnis homo, igitur scelus admittit omnis homo: item, uesci carnibus scelus est, homo uescitur carnibus, ergo homo scelus admittit. Habes hic formam connexi, atque ratiocinationis simul simplicis, quæ Categoricam uos logici appellatis: quarum in utraque est Propositio, assumptio, & conclusio, hoc est, (quem-

(quemadmodum a uobis dicitur) Maior propo-  
 sitio, Minor, & consequentia. Verum cum maior  
 falsa sit, conclusionem esse falsam dicendum est.  
 atqui me pudet hæc ridicula in epistolam conijce-  
 re; illud te certe decet, ostendere, quo pacto meū  
 de Cælo & Mundo demolitioni subiecto, argumē-  
 tum, de quo superiore epistola egimus, falsum  
 sit. quod te non posse arbitror, nisi ex sententia  
 tuorum philosophorum, qui dum nimium suæ phi-  
 losophiæ tribuunt, ueritati tenebras obducunt  
 turpissimas. Vale.

Camillo Trocio. Epist. XV.

**V**T mihi renunciatum fuit, Trocii prudentis-  
 sime, te in Francisci Triuulij, qui mortem  
 obiit, locum susceptum iri, qui cum P. Paulo Fol-  
 perto, Alexandro Aliferio, & Francisco Ale-  
 sio, Academia Taegiana præesses; pro meo & in-  
 tales uiros, nunc tuos collegas, & in pueros, qui  
 in ipsa Academia aluntur, a meq. ad humanita-  
 tem informantur, studio uehementer lætatus  
 sum. Cum enim ad huius loci dignitatem tuendā  
 nihil aliud deesse uideretur, nisi uir doctus aliq.,  
 quo Collegæ tui, (boni uiri illi quidem, sed litte-  
 rarum studijs minime dediti, & ob id etiam rerū  
 non omnium gnari, quibus sine in litteris & uir-  
 tute

tute non proceditur) non solum in magistris &  
 discipulis ex liberalissimo ipsius Taegij & reli-  
 quorū, qui hanc Academiam præclare fundatam  
 nobis reliquerunt, decreto deligendis; sed etiā  
 in regendis iuuenum studijs consiliario, & quasi  
 duce uterentur: hanc in spem adducebar, fore,  
 ut te in eorum collegium cooptato, quidquid in-  
 commodi Academia haberet, id breui, si modo  
 in eam curam uelles incumbere, diminueretur; at-  
 que aliquando etiā tolleretur penitus. Illud præ-  
 terea ad meam lætitiā per magnum arbitrabar,  
 quod ex omnibus patricijs unus legerere, qui nō  
 tantum in domestica & ciuili prudentia excel-  
 leres; sed in his litterarum communium & poli-  
 tioris humanitatis studijs, quibus ego delector,  
 uersarere; ut mihi iam dubitandum non esset,  
 quin, uti, dum LX. uiris, quorum consilio uniuersa  
 Mediolanensium ciuitas paret, præsides, illa  
 bene se habet, ita ipse Academiae magister, si tu  
 præesses, ex studijs & laboribus meis fructus ube-  
 riores percepturus essem. Verū tacitus hac frue-  
 bar lætitiæ uoluptate, in sinuq. gaudebam, hoc  
 ueritus, ne, si uel optimum præfectorum in te co-  
 optando, consilium improbissimi homines, quiq.  
 ad suum commodum referūt omnia, muta uissent;  
 uel te, quo minus hanc prouinciam susciperes,  
 aliæ curæ impedissent: eundem me, quem gau-  
 dere



dere antea grauiter tulissent, spe tandem frustra-  
tum, atque merentem esse, illi postea letarentur.  
Nunc autem, quando ipsam Deo opt. max. appro-  
bante, uti optaueramus, rem accidisse certior  
factus sum; atque quod factum est, infectum, uel  
aduersantibus ac repugnantibus iniquis, reddi  
non potest: sic gaudio compleor, sic letitjs om-  
nibus incedo; ut, quod ad hunc diem feci, dissi-  
mulare amplius nequeam. Itaque, quoniam me  
tibi cum Academia nomine gratulari ac gratias  
agere, quod pro ea has partes susceperis, etiam  
si ex ea re ego uoluptatem cepissem nullam; tum  
huius mei gaudij significationem dare aliquam  
oportuit: cupiebam sane aliquod ad te litterarũ  
genus inuenire, non uulgare, sed eruditione, gra-  
uitate, & sapientia tua dignum. atqui, dum id  
totum diem quero, nihil propius est factum, quã  
ut mihi etiam hæc leuia deessent, quæ in epistolã  
conijcerem. Sed malui tamen officium sequi, &  
inepte aliquid ad te, quam prorsus nihil scribe-  
re. Ceterum uelim tibi persuadeas, me non tam  
fortune & splendoris, quam doctrinæ, litterarũ,  
& humanitatis tuæ fama inductum, nemini iam  
in te colendo concedere. Vale Ex Academia  
Taegiana.

Ioanni

Ioanni Petro Marchesonio.  
Epist. XVI.

CVM heri domi tuæ, quò ego & Bernardius  
tui salutandi causa ueneramus, sermo inter  
nos de Memoria & recordatione haberetur; me-  
mini me dixisse, Eos homines, quorum iudicium  
acre & politum est, maiore ex parte hebetiore  
esse memoria; eamq. rem Platonis testimonio  
atque auctoritate comprobari. quod cum tu qui-  
dem, quo in libro legissem, indicari uelles; mihi  
uero in promptu non esset: mei in te amoris pu-  
tavi esse, cum ad libros, ex quibus id mihi nota-  
ram, accessissem, descriptum ad te mittere. Pla-  
to igitur in De scientia, qui eius librorum quar-  
tusdecimus est, in hanc sententiam scribit, Quan-  
do densum alicuius est cor, quod sapientissimus  
Poeta laudauit, uel lutulentum, nec ex defæca-  
ta cera, uel molle nimis, uel durum; non recte  
omnino habet: nam mollis nimium cæra celeres  
quidem ad percipiendum efficit; sed eosdem obli-  
uiosos: dura uero contra, diu memores; sed in-  
eptos tardosq. ad percipiendum. huic Platonis  
sententiæ Aristoteles in lib. de Memoria & Re-  
miniscentia, quem Latine reddidit Alcyonius,  
assentiri uidetur. Ait enim, Magna ex parte, qui  
tardo

tardo habetiq. ingenio sunt, memoria magis uigent; & qui acuto, reminiscencia. sed huius ego rei quæ causa sit, cupio scire, Marchesoni: an quia, ingenio qui sunt peracri, res facile perceptas non repetunt; qui autem habeti ad eas, quas difficulter perceperunt, identidem reuoluuntur? Certe quidem Aristoteles ipse scribit, Commentationibus conseruari memoriam, propterea quod res eadem sæpius replicentur; & Commentari nihil aliud esse, quam crebro repetita contemplari, ut imagines, non ut separatim consistunt. De quo tamen te mihi tuam sententiam, cum una erimus, non grauatè dicturum, pro tua in me beneuolentia, persuasum habeo. Vale.

Herculi Valerio. (Patauium)  
Epist. XVII.

**R**ECTE, mea quidem sententia, Muretus, apud Latinos Suere, ut apud Græcos *παλιειν*, idem interdum ualere, scripsit. quod cum probet, uerborum multitudine mihi supersedendum est. Vnde autem uerbum translatum sit, quod quæris: Petrus Nannius, & quidam Germani prouerbiorum interpretes, Donatum secuti, ab ijs metaphoram ductam putant, qui focalibus circumdati morbum simulant, ut de Demosthene an-

ginam

ginam mentiente scriptum legitur. Caesar uero Cicereius amicus meus, Plauti & Terentij in primis studiosus, cum de Phormionis Terentianæ loco (Hei metuo Lenonem, ne quid suat. suo capiti) quem locum Muretus emendauit; cum antea legeretur, Hei metuo Lenonem, ne quid suo suat capiti; mentionem fecissem: me admonuit eius ludi, quo pueri utuntur, cum ridendi gratia ad alicuius uestem aliquid subdole appendunt. Ex hoc ego, quoniam uerisimile est, metaphorã sumptam ausim dicere. quod tibi notum esse uolui, ut ueram lectionem Poetæ a Mureto restitutam esse crederes. nam si, quemadmodum Muretus correxit, legatur locus ille; procul dubio & sensus eius multo liberior erit, & Suo capiti, quæ est male ominatis locutio, a ueteribus passim usurpata, suum locum tenebit. Vale. Mediolani.

Vbaldo Gherardo. Mediolanum.  
Epist. XVIII.

**A**B amore amicitiam & duci & nominari, nemo nescit, qui paullum sapiat, mi Vbalde: sed qui amor animi pulchritudine cõciliatur, quæ pulchritudo, ut Platoni tuo uidetur, uirtus est; ea amicitiam inter uiros bonos perennem coniugari, ijs unis, qui philosophantur, cognitum est

atque

atque persuasum. quicumque enim inter se alia, quam hac, causa copulantur, ubi illa tollitur, (quid autem præter uirtutem perenne est?) eorum amicitia etiam dirimitur, paulatim scilicet elanguescentibus in amore animis. at quos animi pulchritudo, hoc est, uirtus ipsa coniungit, eorum amicitia tam est firma, quam eius causa est. Expecto, inquit, tam longe repetita principia quonam spectent: eo nimirum, ut tibi significem, me non dubitare, quin cum amicitia nostra & uera & perfecta sit, ac futura perpetua, quia ad eam coniungendam amor opinione uirtutis comotus princeps fuit, & summus uoluntatum inter nos est consensus, quo nullum amicitiae uinculum certius esse Cicero testatur; tum tu, quemadmodum in tuis paradoxis, quæ aliquando in lucem prolatum iri & spero & opto, doces, necessitudinem uoluntate in primis retineri; ita licet ex amicitia nostra nullum tu quidem fructum adhuc, quæ mea tenuitas est, uel sane minimum tuleris, ego uero & maximum iam ceperim & maiorem in dies capiam; grata tamen in te uoluntate mea, qua nullum pretium maius, quod tibi persoluam, habeo, contentus sis: quæ quidem, quoniam bonus & gratus esse uolo, a me tibi, dum uiuam, summa cum fide præstabitur. Vale.

Petro

Petro Galefinio Protonotario Apostol.  
Epist. XIX.

CUM quid temporis uacui habeo, Galefini doctissime atque optime, id sacrorum librorum tribuo lectioni; quia ex ea percipio fructus animi & uberrimos & latissimos. Etsi enim scriptis eorum, qui eleganti oratione res alias ornarunt, maxime delector; ex eisq. ad uitæ commoda quæ pertinent, multa comparo: is tamen fructus, qui ex diuinarum litterarum studio capitur, multis esse partibus maior & certior mihi uideatur. Quamobrem, cum nudius tertius, quo die SALVATORIS nostri matris MARIAE uirginis sacra conficiebantur, Psalmum Dauidis centesimum & tricesimum quintum leges animaduertissem, illorum, qui paraphrases carmine scripserunt, alios hunc præterisse, alios etiam, quorum scripta legerim, ipsius diuini Vatis, religiosorumq. interpretum sententiam in eo explicando aliquoties non tenuisse; pijs hominis ac Christiani officio alienum non duxi, eiusdem periphrasim Psalmi fideli opera scribere. quam quidem hoc triduo conscriptam ad te uirum tum in omnibus bonis artibus, præsertim in Theologia excellentem, tum facillimum atque humanissimum uo-

R lui

lui mittere; ut, cum, quid tu de ea sentias, cogno-  
nero, uel in hoc scribendi labore me libentius exer-  
ceam, uel eo prorsus supersedeam. Vale.

Octauiano Ferrario. Ticinum.

Epist. XX.

**H**OMINVM uirtute præstantium, uel cum  
magna est copia, obitu maxime dolendum  
est; cum uero pænuria, quanto magis? sed cum  
pauci intelligant, quam uel bene, si uirtus adsit,  
uel male, si absit, omnia gerantur; quia uirtutis  
quanta uis sit, illi tantum sciunt, qui eam sunt af-  
secuti: pauci etiam illorum hominum morte com-  
mouentur, nequaquam perspicientes, quid damni  
in ea humanæ res faciant. Ego sane, quoniam ta-  
lium uirorum mira paucitas est, ubi quis inte-  
riit, tametsi nullus mihi cum eo usus intercesse-  
rat; id moleste fero: at si intercesserat, quantus  
mihi dolor inuritur? Cum ergo ad nos de Rasarij  
hominis ea uirtute & doctrina, qua tu optime  
omnium nosti, allatum fuit; tanta sum molestia  
affectus, quanta qui ætioribus consanguinita-  
tis & amoris uinculis cum illo conuincti fuere,  
affici potuerunt. Quando enim eum uirum colui  
& amavi, isq. suæ in me beneuolentiæ signa mihi  
per-

permulta dedit; hæc quidem eius mortem lügen-  
di causa satis iusta debuit esse: sed illa fuisse mi-  
hi iustior uidetur, quod in magna excellentium  
uirorum, ut dixi, pænuria illo orbatu fuimus.  
Nec certe meo magis, quam publicæ rei incom-  
modo commotus sum: cui tamen cum ipse plus,  
quam ceteri, quibus cum commune est, mederi  
nequirem; collegi me, in primis uerens, ne cum  
stultum esset, in quo nihil proficerem, me animo  
angi; tum impium, quæ diuinitus accidissent, hu-  
maniter non ferre. Quod autem ad meum illius  
desiderium attinet, maximæ mihi consolationi  
illa sunt, quod diu uel naturæ uixit uel gloriæ;  
quod si non spiritu, at uirtutis laude uiuet; quod  
denique mors inuidiam extinxit, quæ diutius ui-  
uentem sua laude fraudare potuerit. Hæc ad te  
doctissime Ferrari, de interitu Rasarij, qui te ob-  
seruabat & diligebat, qui te auctore ijs se stu-  
dijs dederat, ex quibus uterque uestrum sempi-  
ternam nominis gloriam consecutus est: non ob  
id quidem scribo, ut meis litteris desiderium ac  
dolorem tuum refricem; (quid magis inhumanum?)  
sed potius, ut tibi gratuler, quod quas arteis te  
doctore homo tibi amicissimus percepit, quas lau-  
des ijs artibus comparauit, eæ tuum desiderium  
possint lenire; ac cuius ex obitu dolorem cepisti,  
eius item ex gloria medicinam doloris possis ac-  
cipere.

*cipere. S. FOLIANI  
Vale. Mediolani.*

*Simoni Gazolio. Epist. XXI.*

**Q**UO in me animo, qua uoluntate sis, Gazoli, cum a te ipso coram sæpe audiui; tum ex ijs, quæ abs te pro me fuerunt facta, intellexi: ut id; testibus alijs planum facere necesse nõ habeas. quod tamen elegantissima epistola causas explicasti nostræ coniunctionis, hoc certe multis nominibus gratum & iucundum mihi accidit: nam, ut omittam alia, litteras a te homine docto & probo scriptas, testes non solum singularis beneuolentiæ erga me, sed etiam præstantis ingenij tui, me habere, cum in omni uita mihi honorificum et decorum, tum ad animi mei fructum atque lætitiã per magnum existimo. Quare in te plane ingratus uidebor, nisi operam dederò, ut tibi tuorum meritorum in me, si minus ad referendam gratiam a me satisfieri poterit, ad prædicandam saltem atque habendam satisfiat. Atque adeo, quod scribis, te eisdem esse causis adductum, ut de mea sententia tuorum studiorum consilium caperes; equidem, ut, mihi in eo dando, si prudentia defuerit, at certe optimam fidem & optimũ animum non defuisse, tute intelligas; quamquã sic statuo, tibi te ipso consilium melius daturum neminem,

*EPIST. LIB. V. 131*

neminem, cum in eadem epistola consultans, utrius ad iurisprudentiæ, an medicinæ studium te conferas, multa in utramque partem acute disputes: tamen, quam circumspectis rebus omnibus, subductisq. rationibus summam feci tuarum disputationum ac consilij mei, paucis tibi exponam. In ista igitur deliberatione tria in primis spectanda esse putauĩ, quæ ad te referri debent, ingenium, corporis firmitatem, & rem familiarem; ac totidem, quæ in ipsis studijs posita sunt, difficultatem, dignitatem, & utilitatem. atque adeo primum, cum ingenio præstes, nihil est, quod difficultatẽ pertimescas; deinde, cum corporis tui quæ firmitas sit, tu omnium optime noris, neque sine corporis firmitate studiorum cursum animi contentio conficere queat; illius maxime rationem ducas oportet. De re uero familiari tua quantum tibi polliceri possis, uidere, tuæ unius prudentiæ est. sed de utriusque studij & artis dignitate (cum inter earum magistros contentio est, utriusque suam dignitatem tuentur) nihil habeo dicere. Non nostrum inter uos tantas componere lites. si queris de utilitate, habet utraque eam pergratam; ut, cui malis tuum studium dicare, ex ea non solum ad tuum, sed etiam ceterorum hominum commodum permulta manatura sint. Quæ cum ita se habeant, non tam difficile mihi fuit tuæ consulta-

*R 3 tioni*

tioni respondere, utri earum artium te potissimū des; quam tibi necessarium est, ad alterutram percipiendam quantum momēti habitura sit tum animi tui propensio, tum res familiaris & domestica, dispicere. Hæc nunc breuiter percurri, ut nihil non responderem ad tuam epistolam, pluribus coram, ut uideris uelle, tecum acturus. Vale.

Ingenius pueris ac dialectices studiosis  
Horatio, Maximiano, Raimundo, Hortensio, Mario, Harmodio, & Camillo  
fratr. Callorijs. Casale. Epist. XXII.

**D**IALECTICAM esse instrumentum non solum ad reliquas artes ac disciplinas omnes discendas & intelligendas, uerum ad omnia etiam sermonis munia & hominū cōgressus utilissimum, nemo mediocriter eruditus ignorat. nam, cum sola Dialectice omnem, & perspiciendi quid quaque in re sit, & iudicandi quale quidque sit, ac ratione rectaq. uia disputandi scientiam contineat; sine ipsa quidem recte numquam ullam rem definire, genera dispertire, sequentia adiungere, perfecta concludere, uera & falsa diiudicare poterimus. ex qua certe cum utilitas ad res ponderandas summa, tum maxime delectatio ingenua ac sapientia digna existit. Quamobrē huius præcepta

cepta diligenter teneat oportet, qui aut uelit ea, quæ dicat, tenere tueriq. aut nolit false assentiri cuiquam rei, captiosaq. probabilitate falli, abduciq. a uero. Ea autem cum a quinque uocum communium, ac decem summorum generum, quæ Prædicamenta dicuntur, cognitione incipiant, quendam ludum uobis excogitavi, quo eiusmodi oblectamentum habentes facilius atque libētius ipsa summa genera tum animo percipiatis, tum percepta memoria custodiat. nec id feci sine doctissimorum hominum exemplo. quando enim inter ludendum uincendi lucrūdiq. cupiditate incensi, non modo ludendi rationem tenere, sed in ijs etiā, quæ ad ipsam rationem attinēt, excellere omnes studemus; doctissimi uiri quosdam ludos honestos excogitauerunt, quibus potius, quam inhonestis pueri se oblectarent, ac uincēdi desiderio ad excogitandum acuerentur, et excogitata melius memoria retinerent, ad quam ludus animos puerorum in primis solet reuocare. Horum itaque ductus exemplo atque auctoritate hunc ludum excogitavi, & ad uos his inclusum litteris mittere uolui, mea ad uestra studia iuanda propensæ uoluntatis testimonium. Sed summorum generū, quæ decem sunt, sic appellata; Substantia, Quantitas, Ad aliquid, Qualitas, Agere, Pati, Vbi, Quando, situm esse, & Habere; ijs qui hunc lu-

dam uolunt ludere, aliqua cognitio esse debet; im-  
mo, quo quisque plenius ea cognorit, eo maiore  
cum gloria ac uoluptate, maioriq. cum compen-  
dio ludet. Audite igitur præceptorem uel publi-  
cum si datur, uel priuatim conductum, hæc ex  
Aristotelis, aut recentioris alicuius libris enar-  
rantem; aut, si neutrum licet, & quæ legitis pote-  
stis ipsi mediocriter intelligere, Casario, uel Cor-  
nelio Valerio, uel cuiquam alij, qui a doctis com-  
mendetur, operam date; uel etiam duos tresue  
huius generis scriptores conferte. Parate etiam  
uobis inter discendum singulorum generum bre-  
uiter in tabula diuisiones, ut ludentes, si quando  
dubitetis de aliqua re, eam statim in ipsa tabula  
inueniatis. huic studio Murrælii Isagoge in Ari-  
stotelis Categorias utilis est; uel si eius copia nõ  
fiat, a docto aliquo tabulam uobis confici curate,  
ne quid postea habeatis, quod inter ludendum  
uos perturbet. his institutionibus eruditi duo aut  
tres, aut etiam plures ludere incipiat. Sumat  
sibi quisque genus aliquod ex illis decem, quæ di-  
ximus, uel Substantiam, uel Qualitatē, uel Quan-  
titatē, uel Ad aliquid &c. aut, si de ipsis eligen-  
dis controuersia inter uos ludentes oriatur, quod  
genera alia alijs magis uel minus fœcunda sint,  
& quisque meliora affectet, res ad sortem reuo-  
cetur; & quod cuique genus sorte obtigerit, id  
etiam

etiam sumatur, hoc modo: Græce aut Latine scri-  
ptum librum, in primis uero Poetam aliquem, et  
præ ceteris Homerum uel Virgilium singuli ludē-  
tes aperiant, sed alius aliam eius libri partem, ut  
quæ uni pagina se obtulit, alijs non offeratur: tū  
qui primus aperienti uersus occurrerit; eius etiā  
primi uocabuli, quod non sit syncategorema, hoc  
est, quod non excludatur a Categorijs, genus ipse  
aperiens accipiat, eoq. in ludendo utatur: exem-  
pli gratia, sunt lufuri Adolescentes A, B, C, &  
aperto libro ab A, primus uersus occurrit, Tollite  
cuncta, inquit, cæptosq. auferte labores. quom-  
niam uerbum Tollite ad genus Agere pertinet,  
A, primus collusorum Agere usurpat. Rursus  
aperto Virgilio a B, primum carmen se offert, Ter-  
ra procul uastis colitur Mauortia campis. quia  
Terra ad substantiam refertur, cum sit elemen-  
tum, B, secundus collusorum Substantiam suam  
genus habet. Tum demum C, librum aperit, &  
legit primum uersum, Sermonem Ausonij pa-  
trium, moresq. tenebunt. quando enim sermo ad  
Quantitatem spectat, C, tertius colludentiū hanc  
sibi assumit genus, quo ludat. quod de Virgilio  
dixi, ac de tribus colludentibus, id etiam de Ho-  
mero alijsq. poetis, atque de pluribus ludentibus  
dictum intelligatur. Quod si forte in aperiendo  
libro alicui uocabulum idem, uel aliud ad idem  
genus

genus relatum occurrat, quod alijs prius, ut fieri potest, obuenerit; is, cui hoc accidat, aliud, quod in proximo sit, ex eodem uersu mutuatur. Vbi itaque sibi unusquisque genus suum paratum habuerit & expeditum, quo ludat; præceptor, si præsentem ipso ludatur, uel quiuis ludentium, si nullus aderit iudex, uel arbiter (melius & commodius ludetur, si quis extra ludentium numerum adsit, qui queat lites componere, controuersiasque dirimere) Virgilium, uel alium librum aperiat, & quem primum in dextra, uel etiam, si ita conuenerit ludentibus inter se, in sinistra pagina offenderit, uersum legat; deinde quisque consideret, sitne unum aliquod sui generis uocabulum duone, aut plura in eo uersu, qui plura sui generis uocabula inesse comperierit, ei lucrum detur. poterunt etiam tot legi uersus, quot erunt collusores, ex eiusdem paginae parte altera; ut primus uersus eius sit, cui sorte datum est habere substantiam, secundus eius, cui obtigit dignitate uel ordine genus ad substantiam proximum. idem quoque in reliquis modus usque ad postremum seruetur. His hunc in modum constitutis, qui in suo uersu plures sui generis uoces nactus erit, lucrum faciat. quod uelim esse fructus aliquos, ut poma, pyra, pruna, castaneas, & similia, quæ anni tempus ferat: quæ ipsi colludentes in commune contulissent.

tulissent. pro nummis enim certare, etsi permittitur, minime tamen concedendum censeo, multis de causis, quas uos nescire præstat, quæ hoc tempore intelligere. fortasse præstiterit, quod meo iudicio inter præmia omnia excellit, & honestissimum est lucrum, ut, qui uictor extiterit, is tamquam rex alios præcedat, colatur ab illis & obseruetur, quoad dies aderit, cum iterum ludatur. qua in re si ex ijs, qui uicti fuerunt, aliquis uictorem carmine aliquo laudarit; is proximo ad principem loco sedere potest: si uero etiã plures id præstiterint, superiorem semper locum dignioremque tenebit, qui carmen elegantius fecerit, donec ludus repetatur. sic enim pro laude et dignitate non solùm pro lucro ludent; atque ad hæc studia magis incenduntur. Atqui, si lubet subtilius ludere; singuli deponant tres pluresue unitates, (nunc concedatur unitatem rem unam duntaxat, siue pignus ex ijs unum, quæ sint futura uictoris præmia appellari) & pro infimis & ultimis sui Prædicamenti generibus uictores unam unitatem accipiant, pro medijs duas, si erunt proxima infimis generibus; sin proxima erunt summis, pro eis accipiant tres unitates. ponatur exemplum in substantia prædicamento, ut ab uno latere diuisionis Media genera sint, quemadmodum reapse sunt, Corpus & uiuens; ab altera parte Corporis



S. FOLIANI

Corporis expers & Non uiuens; infima uero eorum genera Animal & Planta sic:

Genus summum	—	Substantia	—	—
Media	{	Corpus	—	Corporis expers
		Viuens	—	Non uiuens
Infima	{	Animal	—	Planta

neque enim accuratius distinguere oportet, sed ex conuento in tabula aliqua, ut supra dixi, ab aliquo erudito picta uel approbata. Verum si quis desideret id accuratius fieri, & a summo genere usque ad indiuidua descendi appositis differentijs hunc in modum distribuatur; ut substantia diuidatur in corpus & corporis expers; Corpus in Animatum & Inanimū; Animatum in sensus particeps & sensus expers: sensus particeps in Animal rationis particeps, & in Rationis expers; Rationis particeps in Mortale et Immortale; Mortale in singulos homines: rursusq. ex altera parte diuisionis Corporis expers in Deum, Angelū, Animam & Dæmonem; Inanimū in metalla & lapides; sensus expers in Plantas; Rationis expers in belluas; Immortale in multa, de quibus, qui hæc præceptis tradiderunt, ab eis cognoscere poteritis. sed hæc diuisio, quam ex altera parte constituimus est tantum differentiarum, quæ solū diuidentes dicuntur, non etiam constituentium & diuidentium simul; uti ostendi in libro summorum generum,

generum, quem uobis scripsi. sed redeamus eò, unde diuertimus. Cui sui summi generis uocabulum, uel aliud idem significans, ut Natura, uel substantia; ut Quantitas, uel Quantum; ut Qualitas, uel Qualis, quemadmodum apud Virgilium est, Qualis in Eurota ripis, aut per iuga Cinthi; & Quale manus addunt ebori decus. & similia: is ἐπιμαρτυρῶ illud (utar uerbo Græco, quia significatius est, quippe quod lucrum sorte datum, & quasi inexpectatum significat) totum auferat, ueluti regem uicerit, aut subegerit. Atqui si cuiuspiam non esse satis uidebitur, singulos ludentes unum genus habere, præsertim si duo tantum, summum tres colludant, bina omnes Genera possunt usurpare, eoque magis, si steriliora sunt, ut Vbi, Quando, Situm esse, Habere: sin sint plures, qui ludant, singulis unum duntaxat Genus sorte, quæ dictum est, datum, aut fecundioris alicuius species saltem una sufficit. Debet præterea quisque uocabuli sui, hoc est, secum facientis, proximum genus cum differentia nominare; ut, si Homo occurrat, qui substantiam usurpauit, mox dicat, Homo est animal rationis particeps, ut definitio propemodum dialectica sit. Similis definitionis modus in reliquis, quoad fieri potest, dictionibus retinendus est. Et si quid eorum, quæ ad diuersa genera pertinent, obuium fiat, ut, Corpus, cum & ad

ad substantiam et ad Quantitatem referri queat; ad id, quod præcedit genus, nempe substantiam est referendum. sic in reliquis erit observandum. nam substantia & naturæ ordine & dignitate reliqua præcellit genera; Quantitas illam consequitur nõ tam dignitate, quam dialecticorum instituto; Relatio item Qualitati quemadmodum Qualitas ceteris præponitur; uti in libro Summorum generum demonstraui, quem ad uos dederam: Pariter si quid ad diuersas unius generis formas referri possit, ad eam, quæ anteit, id ipsum referemus; ut in Qualitate calor et frigus, auctore Aristotele, & affectiones sunt & qualitates, quæ non satis Latine dicuntur passibiles: tamen si quando suppeditarint, ne inter ludentes de eis impendens acerbior contentio ludi rationes conturbet, non solum hæc, sed alia huiusmodi omnia ad priorem formam in præsentia referemus; & ubique uocabula in potiori & conuenientiore significato accipiemus, siue propria ea sint, siue translata. item, si quid ambiguum sit, ut Canis, semper debet in eam partem accipi, quam dicendi consuetudo confirmauit: nisi secum aliud quidpiam, quod ambiguitatem tollat, habuerit; ut illud Ciceronis in Arato; Namque pedes subter rutilo cum lumine claret, Feruidus ille Canis stellarum luce resurgens. Artificum opera quidã

ad substantiam referunt propter materiam; alij etiam ob figuram & formã artificiosam ad Qualitatis quartam speciem, quæ omnino secundum unamquamque formam figuramq. perspicitur. sed illos non sequor; his assentior, qui ea ad Qualitatem referunt; ut, quemadmodum in naturalibus rebus a forma non a materia res ipsæ denominantur, sic in artificiosis etiam ipsa opera a forma arte inducta potius, quam ab rudi materia illa nomen habeant. Ad hæc, uoces non pauca sunt, quas, quoniam ludentes hoc ludo, et non dum uersatos in Dialecticis suspensos possunt tenere, non præteriri operæpretium erit. Eiusmodi sunt, quæ a Categoriarum serie reijciuntur. nam uox nulla complexa, nisi simplicis loco accepta, ut Cicero orator, Socrates ambalat, Plato & Aristoteles, in prædicamentorum serie ponitur. hæc enim & talia, nisi simplicis loco accipiantur; quærenti cuius categoriæ sint, nullius esse respondebo: at uero pro simplici accepta, genus unũ sunt. Syncategoremata item nulla inter Categorias locum habent. sunt autem syncategoremata uoces, quæ nec solidum quippiam significant, nec in oratione, nisi cum alijs iunctæ, consistunt; ut, quæ signa Logici appellant, Omnis, Nullus, Aliquis, quidam, & pronomina quædam, ut hic, ille, & similia; & non declinatæ orationis partes omnes.

omnes. Hoc loco tamen notandum uidetur. Nomi-  
 ni tantū & Verbo ex partibus orationis, quas  
 Grammatici recensent, locum patere in Catego-  
 rijs, exceptis quibusdam aduerbijs, & partici-  
 pijs omnibus: quæ sub nomine & uerbo ponun-  
 tur; & aduerbia quidem sub nomine, participia  
 uero sub uerbo. nam & aduerbia in nomen, &  
 nomina in aduerbium transire aliquādo uidemus.  
 Loci porro aduerbia ad genus ubi, temporis ad  
 Quando, qualitatis & quantitatis ad qualitatem  
 etiam & quantitatem referuntur. Nonnulli a Ca-  
 tegorijs excludunt rerum commentitiarum & fa-  
 bulosarum nomina; quia in rerum natura nō sint  
 illæ res; ut Chimæra, Syren, Cyclops, Harpyia,  
 Scylla, Cerberus, Styx pro inferorum palude,  
 Sphynx, & id genus reliqua uocabula. sed si  
 quis hæc ad substantiam inter ludendum refe-  
 rat, non est repugnandum. Homonyma etiam,  
 seu maius Polysēma dicere, maxime omnium ab  
 huiusmodi summorum generum doctrina remota  
 sunt; itemq. ea, quæ logici aliarum uocum caus-  
 sa usurpant, & terminos secundæ intentionis esse  
 dicunt; ut genus, species, uel Forma, Nomen,  
 Verbum, Indiuiduum, Subiectum, Prædica-  
 tum, & similia; atque ea, quæ omnia genera  
 ambiunt, ut Categoria, & Essentia quæ a Plau-  
 to dicitur, uel quod Græce dicimus *ἐν ἰδὲν* ualens

lens quod Existens. dicuntur enim de generibus  
 omnibus promiscue: tum quæ priuationem signifi-  
 cant, ut cæcitas, surditas, & tenebræ apud quos-  
 dam. Verum nihil impedimenti uideo, quominus  
 eodem in genere hæc statuatur, in quo eorum op-  
 posita esse inueniuntur. exemplum, quod latius  
 pateat, assumamus: quero, cuius sit categoria  
 iniustitia; iustitiam esse qualitatem, statim in-  
 mentem uenit. cur non & iniustitiam, illi opposi-  
 tam, Qualitatem esse non dixerim? ad eundem  
 sane modum in cæcitate & surditate facere, non  
 est cur dubitetis. nam si Visionem, & Auditio-  
 nem Qualitates esse perspicitis; cæcitatē quo-  
 que & surditatem Qualitates esse ne dubitetis di-  
 cere. præterea uocem partis principijue rerum  
 artificiosarum, reponi debere in nullo horum ge-  
 nerum summorum quidam indocti ostendunt;  
 quales sunt, forma, materia, caput, pectus, uen-  
 ter, manus, pes. sed iam finem huic ludo faciā.  
 Quem si intellexero uobis gratum fuisse (intelli-  
 gam enim, si in ista arte, cui studium uestrum  
 impertire cœpistis, hoc munusculo, quasi inuita-  
 tu meo, progrediendum duxeritis) ad alia, quæ  
 uobis in uestris studijs usui possint esse, conscribē-  
 da excitabor. Valete.


Errata operarum sic corrigenda.

illustre 1 a 7. quo 1 b 18. unum 3 a 6. infimum  
 4 a 5. istuc 6 a 27. Republicæ 6 b 17. quam  
 primum 6 b 15. inaneis 7 a 10. uirtute 7 b 8.  
 clarum 9 a 12. spectatur 9 a 17. residere istam  
 9 b 27. teneor 11 a 4. quasita 11 a 7. perin-  
 uitus 13 b 26. male 14 a 27. admonitiones 14  
 b 14. meum 18 b 24. num 18 b 25. quam 18  
 b 9. posse nō putabam 22 b 26. uiderer 23 b 2.  
 responderem 23 b 3. uoluntati 24 a 24. pueris,  
 25 a 2. operosam exercent 25 a 7. nisi 25 b 8.  
 cymbam, 25 b 25. quin 26 a 6. an 26 a 19.  
 certe quoquam 26 b 7. Medosq. 27 a 12. Sfon-  
 drate 27 a 19. nauandum 27 b 15. ne tu ea re  
 28 a 19. abieci 29 a 8. Venuste 30 a 4. te oro  
 33 a 26. Gabrieli 34 b 1. fidelitate 34 b 27.  
 acciderunt 35 a 24. a te 35 b 15. Venusto 36  
 a 15. ducar 38 a 18. quā 39 a 1. tum 40 a 9.  
 ut ilia 40 a 13. continenter. 40 a 17. Verum  
 est, 40 a 26. ut, si (eodem uersu) occasio se 40  
 b 10. meam in te 40 b 16. homini amico 41 a  
 27. ad uos 41 b 9. Latine 45 a 1. potissimum  
 45 a 9. dispensationibus 46 b 11. efficiunt. 47  
 b 27. respondent 48 b 6. Ode 49 b 27. prouida  
 50 a 3. beneficio 51 b 21. nolo 54 a 7. quam-  
 quam 54 a 9. Tuæ mihi 56 a 7. maxime debes  
 putare 57 a 21. futurum 58 b 10. uel quod 60  
 b 12

Errata sic corrigenda. 138

b 12. fieri 62 b 23. columnen ille 65 a 18. redi-  
 rem? 65 b 5. illud etiam 66 b 26. doctum uolui  
 68 b 18. a summo 69 a 9. Villanouano meo 74  
 b 6. propterea 75 b 4. Academia 76 a 11. be-  
 neuolentia 76 b 11. id sit 77 a 14. ad quas 87  
 a 26. consecutus 89 a 10. quasi 93 a 10. factu  
 93 b 3. notius 94 b 12. appellat 95 a 1. con-  
 structionem 97 a 2. Turcicè 97 a 8. inscitia 97  
 a 22. quàm oratione 97 b 21. cōstat. 97 b 22.  
 cum illi 99 a 16. interuallo 99 a 18. docendi ge-  
 nus 100 a 8. quas na- 102 a 16. notio totius  
 103 a 24. ut genus species, 103 b 24. non du-  
 bium est 105 a 7. ludimagistros sunt nacti 105  
 b 22. profertur 109 a 9. ad compositionē 109  
 b 2. notioni 109 b 23. Grammaticæ 111 a 16.  
 recte 111 b 4. intelligētia 112 a 11. quem enim  
 113 a 2. obseruantiam debeat 115 b 15. tu mi  
 patre 117 b 21. inscitia 124 a 12. tam 124  
 b 1. ratione 124 b 3. dissolubilem 124 b 6.  
 hebeti 125 b 5. morte allatum fuit 129 b 23.  
 queris 131 a 22. ambulat 136 a 16. factam  
 49 a 27.

BERNARDINI BALDINI  
CARMEN.



**P**Arua Sigismundi constrictis hactenus alis  
Insubres circum fama uagata plagas,  
Expansis dices pennis penetrabit ad Indos  
Protinus, Antipodum uel subitura locos,  
Vulgabitq. Cati dotes auctoris & artis  
Ingenuas doctis amplificata notis.

STEPHANI BERNARDII  
PEDEMONTANI.

**I**Nuide si spernis Foliari dona, necesse est,  
Facundi spernas & Ciceronis opes:  
Ex his sumpta puta, certa ratione. quid ergo?  
Aut sperne utrumque, aut (Zoilè) utrumque pba.

SIMONIS GAZOLII GENVENSIS  
AD SIGISMUNDVM FOLIA-  
NVM CARMEN.

**S**igismunde magis magisq. munde,  
Mundo pectore, moribusq. mundis,  
Mundoq. eloquio, simulq. munda

Doctrina

Doctrina omnigena eruditione,  
Quem quantum est hominum arte mundiorum  
Sacra Palladis, & nouem sororum,  
Mundi in partibus, ampliusq. mundo  
Toto, istis, alijs eritue in annis,  
Queis sis nomine notus eleganti,  
Canit, suspicit, & colit Ferendo  
Iure laudibus usq. ad astra miris,  
Canet, suspiciet, colet, feretq.  
Vt doctum, lepidum, bonum poetam,  
Quam sunt egregia arte perpolita,  
Quæ nunc auspicio bono & secundo  
Profers eximijs uiris probata,  
Seu uincto pede scripta seu soluto.  
Nam lita ingenij perelegantis  
Sunt tot luminibus, silente nocte  
Cælo sidera quot nitent sereno.  
Ac plane aureolo hoc tuo libello  
Plures ingenui atq. liberalis  
Viri res studio scientiaq.  
Perdignæ, Foliari, continentur  
Mollibus folijs nouæ uirentis  
Syluæ, floribus aut agri decoris.  
Nimirum decus addet, ac honores  
Tibi gemmeus hic tuus libellus,  
Addunt, Dijs Foliari care, quales  
Honores Folia arboris tenellis

Ramis

Ramis aurea mala proferentis .  
Quin hunc aureolum tuum libellum ,  
Quòd modo eloquij patrem latini ,  
Vatis Mæonij modo & Maronis  
Musam magniloquam referre noris ,  
Nunc lusus teneros Catullianos  
Exprimas lepide , eleganter , aptè  
Et quantum pote plurimum uenuste ,  
Conditos salibus , facetijsq; ,  
Omni deniq; gratia & lepore ,  
In redissimili atq; differenti  
Nunquam non similis tui , disertus  
Nempe purus , acutus atq; summus ,  
Hunc inquam aureolum tuum libellum  
Formosæ Charites , simul decensq;  
Cætus Thespiadum , annuente Phæbo ,  
Condent Pieria æde , quam † & inde  
Nemus Lauriferum uirens opacat ,  
Cuius nunc solijs , sacris corymbis  
Permistis hederæ , tibi corollas  
Intexunt Foliæ , perlibenter ,  
Tua præmia digna fronte docta .  
Quare gemmeus hic tuus libellus  
Sæuos Fulminis impetus , furores ,  
Dentes atq; truces edacis æui  
Temnet omnia bella deuorantis .  
Atq; oues , Foliæ , dum bidentes

Pascen-

Pascentur Folijs , nouisq; uere  
Læto dum folijs nemus uirebit  
Iucundus grauibus uiris uigebit  
Hic planè aureolus tuus libellus .

DOMINI BVCCHIONII  
GENVENSIS .

VT mentè , ad superos qua accedit proximus , oës  
Formam nos hominis scimus & esse decus ;  
Sic magnum mentis lumen facundia Prudens  
Est , homini cuius nomine præstat homo .  
Qui cupit eximio decorare hoc lumine mentem ,  
Egregium hoc miræ perlegat artis opus .

Registrum.

† A B C D E F G H I K L M N O P Q R S .

Omnes sunt quaterniones , præter S , duernio .

M E D I O L A N I ,  
Apud Pacificum Pontium . M D L X X I X .



SIGISMUNDI  
FOLIANI  
BURMIENSIS

CARMINVM

*Liber vnus.*

CVM PRIVILEGIO.



MEDIOLANI,

*Apud Pacificum Pontium . M D LXXIX.*

Summa Priuilegii.

**P**HILIPPI Regis Hisp. &c.  
Ducis Mediolani &c. priui-  
legio cautum est, ne quis an-  
te sexennium libros epistolarum,  
& carminum Sigismundi Foliani,  
citra ipsius Sigismundi voluntatē,  
imprimat, aut alibi impressos im-  
portet, uenalesve habeat, intra  
Ducatus Mediolani fineis omne-  
is. qui secus faxit, amissionis li-  
brorum, & pœna fisco Regio ex-  
soluenda mulctabitur: ut latius pa-  
tet in ipso diplomate. quod datū  
fuit Mediolani die 10. Februarii.  
M. D. LXXIX.

SIGISMUNDVS FOLIANVS<sup>2</sup>  
Bernardino Baldino. S. D. P.



*A*NTA sunt merita in  
me tua Baldine, ut ve-  
rear, ne illi, quibus ea  
nota sunt atque testata,  
ingratum me esse hominem existiment,  
nisi grata in te voluntatis mea argumē-  
tum aliquod acceperint. ut enim omit-  
tam, quanta me humanitate, quo pri-  
mum tempore in hanc urbem veni, fue-  
ris complexus, & quibus postea officijs  
semper profecutus: quanti illud est fa-  
ciendum, quod paraphrasi in Aristote-  
lis Physica & Oeconomica, & Artem  
poeticam a te (quod a nemine factum  
fuit alio) Latinis versibus luculente scri-  
pta me donasti? Itaque librum hunc  
carminum meorū tibi dicare volui, non

A 2 quo



quo me hoc are, in quod incidi, alieno  
liberarem (qui enim fieri potest?) sed si  
ingrati animi nomine cuiquam fortassis  
suspectus sum; ab eius criminis suspicio-  
ne ut me expurgarem. idq. eo libentius  
feci, quod & bonus poeta es, & poeti-  
ces studiosis maxime faues. Vale.  
Mediolani.

3  
SIGISMUNDI FOLIANI

CARMINVM

LIBER VNVS.

Ad Benedictum Herbam ex familia Præ-  
dicatorum Casalensium  
Episcopum.

Antistes venerande, mihi, qui carus es, ipsi

Atque tuo populo,

(Hoc etenim virtus hoc & tua facta merentur,

Astiduusq. labor:

Aeterni enarres nobis cum iussa parentis

Historiamq. sacram)

Sunt, quos sollicitat fluxarum sordida rerum

Cura magis, veterum

Tangere quam possint diuina oracula vatum:

Contra alios videas

Auribus arrectis lepido narrantis ab ore

Mystica sacro tuo

Pendere, & sensus audita admittere in imos.

Cur id sit, an referam?

Cui dedit hos ciues magni regnator Olympi,

Docte pater regere,

Infectosq. diu labe expurgare maligna,

Tu melius poteris

Huius nempe rei, quæ me latet, edere causam

Eloquio liquido.

A 3 Tantum

S. FOLIANI

Tantum mirari uehementer me ipse fatebor,  
 Quod quota pars hominum  
 Vel superos sancta placat pietate, uel audit  
 Verba Dei ex animo.  
 Quid ciues agitis? quæ uos uesania cepit?  
 Quis furor? heu miseros.  
 Nulla ne iam uestræ tangit uos cura salutis,  
 Nullus amorue animæ?  
 Dum licet errorem deponite: namque citato  
 Mors inopina gradu  
 Festinat, parcens nemini petit illa superbos  
 Atque humiles pariter.  
 Hoc meminisse satis. summi præcepta parentis,  
 Quo teneamus iter,  
 Demonstrant nobis; exemplum nobile nostri  
 Vitaq. pontificis:  
 Quo custode bonos nostro rediisse sub æuo  
 Posteritas referet  
 Mores atque fidem, uiguit quæ tempore, mundi  
 Cum tener orbis erat.  
 Sed tu docte Pater, uatum cui scripta piorum  
 Et referare datur,  
 Et commissa gregis cælesti est munere caussa,  
 Perge docere rudes  
 Et superos uenerari, & templis reddere honores  
 Conspicuos, malaq.  
 Crimina purgare, atque iras auertere diuum  
 Sacrifi-

CARMINVM LIB.

4

Sacrificis precibus;  
 Ut tandem pascant animum pietate fideq.  
 Utq. modum uitij  
 Figant, ac pertæsis nil sit te auspice uera  
 Relligione prius.  
 Sic Pylj superes uiuendo magne sacerdos  
 Stamina lenta senis;  
 Sic, tenebris cum te suprema obduxerit hora,  
 Præmia digna feras.

Ad Stephanum Guatium.

Sint tibi cum puri mores, cum uiuida uirtus,  
 Dedaleum ingenium,  
 Fama, fides, plenum generoso & pectus honesto,  
 Simplicitas, pietas,  
 Scilicet & nullo, Guatti, maculata ueneno  
 Mens tibi, nec uitio;  
 Dic age per superos, quæ te tantum anxia cura  
 Conficit immeritum,  
 Ut quæ lætitia quondam nos usque soleret  
 Musa tua afficere,  
 Nunc nisi mæsta sonet tristes miseræda querellas,  
 Qualis in Ismarijs  
 Mulcebat numeris abiectus rupibus Orpheus  
 Strymona flebilibus?  
 Curas pelle graues, fortunæ oppone superbæ

4 Docte

S. FOLIANI

Docte tuam Stephane  
Virtutem, Studiumq. bonis Deus omnia dura  
Nam superanda viris  
Proposuit. Duris sine, quis sine magna labore  
Consequitur decora?  
Alcides missos odio Iunonis iniquæ  
Paruulus ipse premens  
Angues elisit geminos, ceruam aurea habentem  
Cornua corripuit,  
Et flammis hydram iuuenis ferroq. peremit,  
Qui Ioue natus erat.  
Sed tandem permulta manu post môstra iuba cæta  
Comperit inuidiam,  
Fataliq. labore, extremo & sine domandam,  
Cum superos adiit.  
Virtutem pulchram comitatur pessima res hæc,  
Corpus vt umbra solet;  
Quam, nisi cum cælum petitur, diuellere ab illa  
Nulla potis ratio est.  
Sic habet, immenso virtus næ parta labore  
Ducit ad astra viros.  
Quod si stellantē cuiquã umquã scandere Olympiũ  
Forte datum est homini,  
Quem nullæ Harpyiæ, nec stridens bellua Lerna  
Læserit: Herculca  
Haud natus luna; gallinæ est filius albæ,  
Sed (reor) hic aliquis.

Ad

CARMINVM LIB.

5

Ad Theodorum Sangeorgium.

Ordine cum tali, sapiens miretur ut omnis,  
Tamq. eleganter explices  
Auricomi longos Solis Theodore labores,  
Lunæ meatus & vagos,  
Quæq: trahēs secū cælū astra volumine torquet,  
Ingens vel ambit Signifer  
Infixa, & propria quæ libertate vagantur,  
Et orbium vertiginem;  
Vnde hominū genus & pecudes, et mobilis aura,  
Aequorq. motus concipit,  
Ac varios tellus non vno ex semine fructus  
Educit omnium parens:  
Vrania, clarum nomen quæ ducit olympo,  
Te ad alta raptum sydera  
Credimus, & tacitum causas rerū inde latentes  
Hausisse; quo tandem tua  
ILLVSTRATORVM virtute academia multo  
Illustrior fiat, viris  
Inq. dies præclaris & sapientibus aucta  
In omne duret sæculum,  
Et docto quondam possit par esse Lyceo,  
In quo Minerva fuderat  
Ingenuas arteis secundo ex pectore, teclas  
Atra prius caligine.

Ad

Ad eundem:

Altiloqui si quis nunc est imitator Homeri,  
 Magnanimum qui cantet Achillem,  
 Victores Atreidas, multa & cæde cruentum  
 Tydeidem, tentoria Rhoesi  
 Primo qui somno uastabat prodita; longos  
 Errores Ithaci sapientis,  
 Merionemq. nigrum Troiano puluere: nomen  
 Ille tuum digne celebrabit.  
 Nos tennes hæc non conamur grandia, quando  
 Ingenij culpa prohibemur  
 Egregias laudesq. tuas, Martemq. potentem  
 Deterere, hisq. includere chartis:  
 Vrentem potius iuuenes cantabimus ignem,  
 Aligeriq. Cupidinis arma,  
 Enterpe tennes calamos seu flatibus implet,  
 Seu citharam Polyhymnia tendit.

Ad Botatium Academiae Principem.

Imperium ueluti in populos ubi quis teneret olim  
 Virtute præstans, usque præferebat  
 Publica priuatis rex commoda, uel suæ salutis,  
 Frui liceret siue pace, bella  
 Seu generet hostes cū ciuibus: haud secus senecta

Aetate

Aetate princeps, ut tuum Lyceum,  
 Bottati sapiens atq; optime, magno honore hone-  
 Minus labori parcis; otio sed (stes,  
 Et ludo præponis seria. te senex beate  
 Sic comparasti, ut plurimos uiros iam  
 Cum longe superes uirtutibus, uno & altero uix  
 Pari reperto, neuiquam tu eis, qui  
 Viuunt prætereare. unde est tibi magna laus parata,  
 Decusq. magnum, quod die peribit  
 Nulla, id nec poterit mala lædere lingua; dūq. stel  
 Polus nitentes pascet, & patentes (las  
 Lustrabit campos sol aureus, hic honos manebit,  
 Tuumq. nomen, peruolans uirum ora.

Ad Franciscum Vicedominum oratorem  
Franciscanorum.

Felix terq. quaterq. & magis usque sis  
 Summus cui Deus arcana dedit sua  
 Nosse & pandere mortalibus, ut facis  
 Sacrae interpres o paginae.  
 Felices, quibus & contigerit tuam  
 Per uocem sacra cognoscere mystica,  
 Quæ qui ignorat homo, haud ille beatus est,  
 Cum sint cetera uanitas.  
 Nam uinum quam hilarat corda dolentium,  
 Atque artus uegetat Palladius liquor,

Et

S. FOLIANI

Et fessa assiduis membra laboribus  
 Flauens refituit Ceres;  
 Plus nostros animos erigit ac beat  
 Verbum illustre Decus patris Olympici,  
 Cum pleno ore p̄i proueniens uiri  
 Aures illabitur pias.  
 Immo alto elicti ut tramite riuulī  
 Vsta arua Icario sidere temperant;  
 Sic mentes hominum cordaq. deuia  
 Ad verum decus attrahens,  
 Diuinum eloquium pectora reprimat  
 Ira percita: idem pabula suggerit  
 Doctrinæ ambrosia plus bona, poculum &  
 Dulci nectare dulcius.  
 Fortunate pater, qui bene viuis hic,  
 Et post funera viues etiam; labes  
 Nomen nulla tuum polluet; inuidus  
 Crescens quotidie amplius  
 Nec liuor poterit ledere: tabida  
 Quin quo sæuiet in te magis hæc lues;  
 Tanto tu hercule ueræ & solidæ altius  
 Tolles cornua gloriæ.

Ad Venetos.

O quæ pulchra sedes mari  
 In nostro Venetum vrbs imperij caput,  
 Auri

CARMINVM LIB. 7

Auri diues, & omnium  
 Post Romam Italia quæ es decus urbium;  
 Magnus mi inicitur timor,  
 Ne polluta Deum crimine læseris,  
 Quod propter miseram ruens  
 In te, commaculet sanguine ciuium  
 Hostis spicula Barbarus,  
 Sæuum arcum, atque manus lætifer impias:  
 Qui non præcipitem Africum,  
 Non tristes hyadas, nec timet Adriam  
 Raucum, nec celeres Notos,  
 Multoq. Armenia tigride sæuior  
 In triste exitium tui  
 Aerata vehitur classe per æquora,  
 Eheu nonne vides Cyprum  
 Quantis ille malis afficiat tuam?  
 His peiora tibi mala,  
 Ni prudens caueas, inferet: & nisi  
 Conuertat Deus optimus  
 Contra hostem insidias, Maximus, efferum,  
 Et fraudes, tibi quas parat;  
 De te deq. tuis ciuibus actum erit.  
 Quapropter roseas prius  
 Quam ponto referat Lucifer aureus  
 Quadrigas, prius humida  
 Quam Aurora & quatiat fulgida brachia;  
 Multis fac precibus roges,

Et

## S. FOLIANI

Et multis lacrimis, tureq. masculo,  
 Hæc sint irrita ut omina,  
 Ventis detq. Deus naufragum in mare  
 Importanda furentibus;  
 Vt Christo superes & duce & auspice.

## Ad Stephanum Guatium.

Quid Guatti facis? ut uales?  
 Vt responsa tuo qualia principi  
 Rex Gallus dederit, mihi  
 Dicas, non rogo. nam quas colimus leues  
 Musæ his me esse procul iubent.  
 At longæ cupio scire molestias  
 Tute ut depuleris uia,  
 Ardentem ut tuleris Seirium, & aridum,  
 Quem semper pedibus citis  
 Currens mouit equus, puluerem; & aulici  
 Vt mores placeant tibi.  
 Sed quis me exanimat nuntius? ecquid est?  
 Patronus meus æger est?  
 Est æger meus hem Guatius ille, cui  
 Nunc hos uersiculos dabam?  
 Huc huc uersiculi ferte pedem mei,  
 Hic uos sistite. non facit  
 Ad morbum nimia hæc uestra loquacitas.  
 Ipse ibo, & minus adferens  
 Nugarum, breuiter, quæ uolo, proloquar.

In

## CARMINVM LIB.

8

## In ludimagistrum quendam.

Quæcunque dignus uerberibus senex  
 Quidam libellis in graue olentibus  
 Contra bonos scripsit magistros  
 Grammaticæ ueteres nouosq.  
 Commenta uento sunt mage inania  
 Luduntq. falsa vulgus imagine,  
 Vulgiq. primores acuti  
 Viribus ingenij tumentes.  
 Is namque spernens artis initia,  
 Discipulis quæ perfacilem uiam  
 Sternunt, uiris doctis probatam,  
 Barbariem pueros docere  
 Mauult nouis & ridiculis modis,  
 Quos somniauit, quam ueteres sequi  
 Deest magistros litterarum  
 Grammaticos canonas docendo.  
 O tu, bonas quas Græcia litteras  
 Arteisq. donauit latio, puer  
 Qui discis & Musas Latinas,  
 Hunc caueas, fugias magistrum.  
 At qui docere haud spernit initia,  
 Quæ absque quid quid construitur, ruit,  
 Illum tu adi tutus magistrum;  
 Non oleumq. operamq. perdes.

Ad

## Ad Callorios in obitu eorum matris .

Tristis ut ad nostras peruenit nuntius aures,  
 Callorij egregium Casalis o decus,  
 Cedentem nulli vestram probitate parentem  
 Aura carere mortuam spirabili:  
 Pro dolor, exclamo; Quantum contraria nostris  
 Sunt fata votis omnium mortalium?  
 O mors improba, & o mortis uox nuntia, nō uox,  
 Viru sagitta tincta sed potius nigro.  
 Hoc alijs etiam deerat Callora ruinis,  
 Nobis te ut ante mors tuum raperet diem?  
 Nec prius aut quires natis tu tangere dextram,  
 Illi aut tuo colloquio & adpectu frui,  
 Quam tua perpetuo prementur lumina somno,  
 Et membra durus frigida integeret lapis?  
 Nam ne quis medicis facile succurreret arte,  
 Illi vel interitum moraretur citum;  
 In rus longinquum concessit sana, sororem  
 Morbo laborantem graui quo viseret:  
 Officium cui dum prestat nimis anxia, parcit  
 Nihil labori, vigilijs parcit nihil.  
 Morbo hinc letifero, feбри hinc correpta maligna  
 Non sensit afferentium medicorum opem.  
 O spes incertas, o saua, o impia fata,  
 O atque amaritiem repostam pectori.

Princi-

Princiualis quæ sola fuit post fata mariti  
 Vobis relicta filijs spes & salus,  
 Quæq. erat exemplum celestis nobile uita,  
 In quam tot & coiere laudes & bona;  
 Priuatam vita hac magni regnator Olympi  
 Reliquorum adire calitum uoluit domos.  
 Sed quidquã haud lacrimæ profunt, tristesue que  
 Ut Parca filium abscondit inexorabilis; (rella,  
 Et cuiquam est, animis cæli in conuexa receptis,  
 Nimis dolere, uel nefas nimis queri.  
 Quapropter Phæbo sacri studijsq. decori  
 Callorij, iam lacrimis ponite modum.  
 Iam sat honorifico decorastis funera luctu,  
 Satisq. amori mutuo a uobis datum.  
 Virtutem tantum, & mores utriusque parentis  
 Imitamini pro uiribus: quos ego lubens  
 Includam numeris; hæc mi modo uita supersit,  
 Et annuat nouem sororum qualibet.

## Ad Syluium Calandram.

Qui te Calandra non amat, uel tigribus,  
 Duris uel est ex cautibus,  
 Duro ue marmore ortus, expers omnis &  
 Humanitatis; si modo  
 Te norit & mores tuos, qui enim potest  
 Fieri, ut is hanc, qua præditus

B

Huma-

S. FOLIANI

Humanitate summa es, & prudentiam  
Hanc singularem non amet?  
O te beatum non semel, sed ter quater  
Sylui Calandra: qui tuis  
Virtutibus tibi tot amicos comparas,  
Quot sunt, qui eas norunt bene.  
Est testis optimus Casalis ciuitas,  
Quæ pressa duro milite  
Quantum tua & uirtus ad iram principis  
Commitigandam ualeat, haud  
Nescit; fatetur & otium noctam esse se  
Et molle per te & liberum.  
Hoc auribus non do tuis; nec præmia  
Posco mihi pro carmine  
Ut des Calandra: sed loqui uerax iubet  
Me Musa, rapta quæ in tui  
Tenellum amorem gaudet his tibi numeris  
Obstrepere, quamuis tetrica.  
Ob id meum latere te nomen uolo  
Quoad licebit. iam uale.

Ad Vincentium Folianum.

Vincenti Foliæ uincis arte  
Certe me ingenioq. non amore.  
Nam te diligit, ut bonus parentes  
Debet filius optimos amare,

Gismun-

CARMINVM LIB.

10

Gismundus Folanus; atque quo plus  
A te uincitur, hoc magis cupit te  
Belle habere, frui & beatiore  
Vita. hinc hendecasyllabos amoris  
Sui perpetui dedit perennes  
Testes; quos Foliæ sume uultu,  
Quo soles, hilari, locoq. doni.

Ad eundem.

Præstas ingenio mihi, ut Maronem  
Videmus facile omnibus poetis  
Præstare & stylo & eruditione;  
Et quo sum reliquis minor poetis,  
Ego, qui minime poeta dicar,  
Hoc tu doctior eruditiorq.  
Es me, qui numeros Catullianos  
Calles tam bene, quam Catullus ipse:  
Immo uincere uero eum uideris,  
Vincenti; utq. tuum sequuntur ipsæ  
Nomen res, ita maxime pudicos  
Scribis hendecasyllabos, pudicum  
Et castum ut decet ac pium poetam;  
Qui quamuis habeant salem ac leporem,  
Non sunt molliculi, aut parum pudici,  
Nec, quod pruriat, incitare possunt,  
Sicut uersiculi Catulliani;

B 2 Sed



S. FOLIANI

Sed sunt religione Christiana,  
Omnique officio, ac bonis referti.  
Proinde antiphrasis figura non est  
Apta, mi Feliane, nomini ipsi  
Tuo; nec facit, ut quasi minus sis  
Vincens me eloquioque uersibusque.  
Cum nomen proprium tibi sit istud,  
Hoc, Vincentius, arte quod politus  
Vincas ingenioque quod libenter  
Ipse nunc fateor, tibi que do herbam.

In Amorem.

Vidistine hodie meam puellam?  
An pectus nitidum puer sagittis  
Transfixti improbe, uel tenellulum cor?  
Transfixti improbe: tu puer puellam (heu)  
Viru letifero neci dedisti.  
Dij perdant male te malum, & sagittas.

Ad Silium Calandram.

Loquax hendecasyllabe, infacete  
Tantisper posita loquacitate,  
Calandræ prope ad uiri eloquentis  
Aedes, uersiculos rudis poeta  
Hos perfer domini tui, tam inele-  
gantes,

CARMINVM LIB. II

gantes, quam est dominus tuus, poeta  
Tanto pessimus omnium, patronus  
Quanto est optimus omnium Calandra.  
Osculare manus, dabit libenter  
Quas heros tibi sic deosculandas,  
Ut caræ genitrix suæ puella,  
Noui quæ rediens domo mariti  
Reuisit patrios lares relictos.  
Est enim facilis benignus, atque  
Acer Castalidum bonarum amator.  
Functus officio tuo, cauebis,  
Ne nomen retegas meum, uel illum  
Nugis impediatis tuis ineptis,  
Vel tua solita loquacitate:  
Tantum dic ualeat, bonisque proficit.

Ad Crotos fratres,

O fratres lepidi & uiri boni ambo  
Croti, ambo artibus & bonis polito,  
Et cari omnibus eruditionem  
Propter & lepidos & elegantes  
Mores, ex quibus estis affecuti  
Cum laude egregia perenne nomen.  
Vos oro, mihi non nihil uelitis  
Posthac scribere, cum datur facultas,  
Quò sciam, quid agatis. ut ualeatis  
B 3 Uterque?

S. FOLIANI

*Vterque ? ut reliqui ualent , relicto  
Quos solo patrio hic habetis , omnes ?  
Aura sic leuiore utrique penna  
Hunc astum nimium graues ferentem  
Febres, & nimium graues labores  
Vsq̄ue leniat usque & usque & usque .  
Longo ut tempore filios queatis  
Vestros litterulis bene erudire ,  
Et uestra omnigena eruditione .*

Ad Franciscum Gerium .

*Quæris hendecasyllabos , Amice ,  
Quales sim solitus probare uersus ?  
Non quales teneræ suæ puellæ  
Lesbiæ, aut tenero suo sodali  
Misit Cæcilio tener Catullus ,  
Versus molliculos , parum & pudicos ;  
Sed quales miseris piæ poetæ  
Decet temporibus pio poetæ  
Mittere, in quibus est nihil relictum  
Loci lusibus , & nihil cachinnis .  
Nam si molliculi ac parum pudici  
Tantum uersiculi salem ac leporem  
Habent , ut tenero placet Catullo ,  
Iam nullum moror aut salem aut leporem,  
Nedum delicias Catullianas .*

Quippe

CARMINVM LIB.

12

*Quippe uersiculos decet pudicos ,  
Pium non minus esse quam poetam .  
Quippe uersiculos , uelut puella est ,  
Quæ mihi una placet nouem sororum ,  
Castos esse decet , decet pudicos ,  
Castum non minus esse quam poetam .  
Habes hendecasyllabos , Amice ,  
Quales sim solitus probare uersus .*

Ad Simonem Gazolium .

*Gazoli optime & optimis probate  
Viris ingenio , eruditione ,  
Culto pectore , moribus uetustis ;  
Cui fauent Charites , nouem & sorores  
Dicant uersiculos Catulliano  
Conditos sale, & Attico lepore :  
Dic mihi , rogo , per tuum sodalem  
Gherardum , unanimem , bonum poetam ,  
Immo tu unanimem tuum sodalem  
Gherardum ipse meis rogato uerbis ;  
Num quos hendecasyllabos amicus  
Gismundus iuueni bono poetæ  
Misurus Gerio est & eleganti ,  
Digni sint legier bono poeta .  
Nam si iudicio probantur acri  
Vestro, non dubitat , malus poeta*

B 4

Quam-

S. FOLIANI

Quamuis, edere, ut optimi poetæ,  
Et quantum pote plurimum diserti,  
Si essent uersiculi, & Catulliani:  
Sin minus, celeri dabit uorandos  
Flammæ, uel rapidis Notis ferendos;  
Ne uulgi ueniant in ora, ne ue  
Mordaces iuuenum excitent cachinnos.

Quare, quidquid inest boni maliue  
Dic nihil tribuens malo poetæ.

In lustrum male ominatum.

O lustrum miserum & male ominatum  
In quo tot mala tantaq. acciderunt,  
Quot & quanta dedere nulla sæcla;  
Et bellum, indomiti Scithæ marinas  
Quando tinxit aquas cruor, grauemq.  
Decoræ Italiae imminentem ab illo  
Proles Cæsaris arcuit ruinam,  
Ac discordia Gallia ferocis  
Regibus populos suis rebelles,  
Et plebem Genuæ bonis rebellem  
Ad cædes patribus uocauit acres;  
Et fames, uolucrum peribat omne  
Ferarumq. genus; nec ulla quando  
Niuem culmina sustinere quibant;  
Nec frugem alma Ceres gerebat ullam;  
Et lues, dominam Adriæ inquieti,

Vici-

CARMINVM LIB.

13

Vicinumq. Athesi Tridentum amæno,  
Veronamq. Bianorisq. pulchram  
Urbem, & quæ MEDIO est uocata LANVM,  
Urbium decus omnium bonarum,  
Pestis est populata cum maligna,  
Foeda & funeribus repleuit atris.

O lustrum miserum & male ominatum,  
In quo tot mala tantaq. acciderunt,  
Bellum triste, niues, fames, luesq.

Hæc tu, Musa loquax, uelim reposita  
Quæ sunt hendecasyllabo, uel illis,  
Quotquot mille alijs erunt in annis,  
Ad lustrum miseri & male ominati  
Des notam memoranda sempiternam.

Ad Rainutium Gambaram.

Herodæ magnum conueni cito, SCAZON,  
Caue molestus sis inanibus nugis  
Stulta aut loquacitate. non amat nugas  
Herodæ inanes, nec loquacitatem: illi  
Tantum salutem plurimam meis dices  
Verbis, & esse graui dolore me affectum  
Tristiq. cura; hic sciuente quod peste  
In pauperes ciues nequiuu adire illum,  
Quod me uocabat, filium ad suum mores  
Bonos docendum & litteras bonas, sicut

Tali

S. FOLIANI

Tali decet sanguine satum, patre ac tanto.

Quod si magistrum non habet, paratus sum  
Extemplo adire, cum uolet. nec his plura.

Heros sed ille magnus est, scias SCAZON,  
Rainutius Gambarà, animosa quem & diues  
Brixia dedit; generosa nunc tenet Parma,  
Musas colentem, ipsisq. deditos musis.

Auibus bonis i. (te haud pigebit iuisse)  
Heroa magnum conueni cito, SCAZON.

Ad Hieronymum Picum.

Pice semideum propago auorum,  
Quem doctæ Aonides, choriq. princeps  
Apollo instituit bonis sacrisq.

Artibus, Pater & suis Graduus,  
Et Tritonia Pallas, ut parentes

Auosq. unde satus, queas referre;  
Queis Pindi uiridis recessus usque

Et Hæmi, atque Aganippidos patebant  
Melliti latices salubris undæ;

Queis seu cominus ense opus ualenter,  
Hæsta seu fuit eminus ferire,

Sive inflectere equum atq; sistere arctæ,  
Seu laxare etiam remissa habena,

Campo currere siue aperto in hostem;  
Quisquam doctior haud fuit uirorum:

Pone

CARMINVM LIB.

14

Pone pone moras; tibiq. iunge

Puellam, faciat breui parentem

Quæ te prole bona beatiorem,

Quam ipsi omnes atau tui fuere,

Qui quamuis fuerint quidem beati;

Tamen, si artibus his suum nepotem

Te ante, quam superas domos adirent,

Vidissent oculis suis, fuissent

Felices magis, ac magis beati.

Quisnam patre tuo est beator nunc?

Cui datum Superis sit ab benignis

Auos & proauos tuos uidere,

Cumq. his uiuere iamq. habere talem

Gnatum, ut terq. quaterq. sit beatus;

Coniugis modo coniugem beatum,

Præquam astrigerum ad polum feratur,

Te cernat nitidæ, atque mox parentem

Prolis Castalidum sororum alumna;

Qua cum ludere auum iuuabit, atque

Sæpe dicere balba uerba, habere &

Caros, uenerit hora cum suprema,

Qui occludant morientis apte ocellos,

Et nomen referant aui, nepotes.

Ergo pone moras, tibiq. iunge,

Quæ te Castalidum sororum alumna

Prolis efficiat cito parentem. — h. y. l. i. 2

Pelle, pelle moras. quid o moraris?

Ad

## Ad Deum opt. max. Imitatio Dauidica.

Magne Pater dira populum ne peste cadentem,  
 In te salutis qui locauit spem suæ,  
 Desere. nam turpi dilapsa cadauera tabo  
 Fætoze polluant (uides) ut aera  
 Pestifero, tetrum passim spirantia odorem.  
 Quonam usque rector gentis humanæ tuos  
 Despicias, pronas auertens questibus aures?  
 Quonam usque non dabis salutem egentibus?  
 An cum mortales trux mors absumpserit omnes,  
 Sepulchro opem feres adustloq. cineri?  
 Quod si tu nostris uitijis offensus ad unum  
 Occidis omnes; uoce, uel tuas lyra  
 Quis laudes celebret? quis sanctū numen adoret  
 Tua sacerdos in domo, aut Vates pius?  
 Num rediuiua tuas in laudes ora recludent,  
 Auara quos duro in sinu tellus tenet?  
 Aut tua sub tamulo bonitas laudabitur umquā?  
 Aut prædicabitur fides silentibus?  
 Ergo bonus mitisq. ueni, & sæuæ immemor iræ  
 Defende nos instantibus periculis.  
 Adfer opem, propera miseris auertere pestem,  
 Benignitatis, ut soles, tuæ memor.  
 Si dabis auxilium, posita placabilis ira,  
 Vt fidimus tuæ Pater clementiæ;

Et cum sol oriens humentes dimouet umbras,  
 Accendit & cum sera Vesper lumina,  
 Vnum te auctorem nostræ, DEVS, esse salutis  
 Fatebimur, quacunque tellus panditur,  
 Ac lætis animis lætos, PATER optime, honores  
 Tibi diebus singulis nouabimus.

## Alia, pro Venetis.

Rector o celi maris atque terræ,  
 O parens supreme hominum & deorum,  
 Cura si Christum populi colentis  
 Te tenet ulla,  
 Militi nostro, procul ut repellat  
 Italas vrbes miserè cruentis  
 Barbarum armis depopulantem & oras,  
 Suffice uires.  
 Iam satis morbi, satis & malorum  
 Est datum nobis: miseri precamur,  
 Ne preces tandem uideare nostras  
 Reddere inaneis.  
 Ecce, quam mærens Venetum iuuentus?  
 Quam senes mæsti, pueriq. & omnis  
 Ciuitas, urbi minitante tristem  
 Hoste ruinam?  
 Multiplex uotum faciunt puellæ,  
 Et preces fundunt humiles diebus

S. FOLIANI  
Singularis matres, superum ferentes  
Munera templis;  
Ut procul dirum amoueas Tyrannum  
Dextera ultrici, miseris parantem  
Ciuiibus, qui se nequeunt tueri,  
Vndique cædes.

Gentis humanæ pater atque custos,  
Si pio Christi populo dedisti,  
Ut tibi reddens meritos honores  
Seruiat unus;  
Iam uicem nostram miseratus audi  
Supplicum tristes gemitus, & hostem  
Tela in auctorem reuoluta mitte  
Turbine sauo  
Sic tibi cætus populi frequentis  
Et dies festos celebrent, & altum  
Tinnula summas feriente laudes  
Aethera uoce.

#### In Sepulchro Margaritæ Paleologæ.

Duro sub hoc ne forte credas marmore  
Sitam, Viator, me iacere mortuam,  
O siste paullisper gradum, obsecro, & lege  
Tetrastichon de me manu scriptum pia:  
Non obiit, sed læta abiit Paleologa, diuum  
Numine quo præsens augeat ipsa choros.  
Namque

#### CARMINVM LIB. 16

Namque lapis cineres hic tantum contegit, illa  
Sidereum cælum, uenerat unde, petit.  
Quod te uolebam scire, iam tenes, uiam  
I, perge, quo lubet, mei non immemor.

#### Leonardi Tocci tumulus.

Hæc lege, ne properes; Leonardū nomine Tocci  
Crueli extinctum funere mors rapuit.  
Ambraciæ regno huius auum carumq. parentē  
Expulerat magnæ littus ad Hesperia;  
Sed non dum his contenta malis Fortuna nepotē  
Obiecit rabidis hostibus immeritum.  
Qui quia præuidit, quæ in se uesana pararet,  
Quamq. foret titulis hæc inimica suis;  
Contentus modico uitam traducere agello,  
Ut magni fugeret nominis inuidiam,  
Diuitias, & quos alij admirantur honores  
Despiciens Musis otia grata terit:  
Quæ memores uita functo statuere sepulcrum,  
Et seruant uigiles. hæc satis: hospes abi.

#### Papalardi tumulus.

Adspice, qui donis Fortune fidis iniquæ,  
Ut damnis fias cautior inde meis,  
Dum nimis alta domus struitur, næ prodigus eris  
Prædia

S. FOLIANI  
Prædia diuendo a patre relicta mihi.  
Mox ruit illa; simul curis confectus acerba  
En iaceo raptus morte sub hoc tumulo.

Io. Iacobi Octauij tumulus.

Flos iuuenum, carus cunctis, Octavius ille  
Hoc iacet ex sanguine conditus in tumulo.  
Fleuerunt omnes, & acerbi signa doloris  
Certa dari hæc uoluit mæstus uterque parens.

Io. Baptistæ Gorni Obitus.

Hanc galeam posuit, scutumque hunc Gornus & ens  
Mars tibi: quæ dederas, nunc ea restituit.  
At citharam, qua uos coluit cum pectine blado,  
O Musæ, socijs donat habere suis.  
Ipse heros cæli liquidas reuocatus ad auras  
Æterno uitam cum Ioue lætus agit.

Imitatio Horatiana, de Amore misero.

Deformis rosea insignem cur fronte Lycorim  
Cyri amor, & Cyrum torret amor Pholoes?  
Sic uisum Veneri, quæ gaudet abenea amantes  
Sub iuga cum sauo mittere sepe ioco.

Quæ

Quæ difficultas in pangendo carmine.

Non satis est legem seruare in carmine, quiq.  
Quotue pedes adeant, versus ut inde sonet:  
Hoc etenim facile est; sed opus, neu parua uidere  
aptentur magnis, maxima neu minimis.

Virtutem esse homini monumentum  
sempiternum.

Præstantis virtute viri non marmora, non æs  
Sunt meliora, suis quæ scriptis tradere amauit,  
Cui dedit ore loqui Deus omnia posse rotundo,  
Doctiloquo veluti quondam sacra Musa Maroni.

Sepulcrum.

Non hic sunt animæ, quorum est e corpore lapsa  
Vita; abeunt; sola hoc corpora marmor habet.

In obitu Gulielmi Vallarij medici.

Quod multos nigro medicus Vallarius Orco  
Mortales Stygijs & reuocauit aquis,  
Inuida mors timuit, multum si uiueret ille,  
Ne vires prorsum amitteret ipsa suas:

C Hunc

Hunc subita oppressit lethalis ui improba morbi,  
Quam tulit idem alijs, ne sibi ferret opem.

De Victoria Christianorum contra  
Turcas nauali prælio parta.

Classe per Adriacas iret cum Barbarus undas,  
Neptunum Venetos admonuisse ferunt;  
Iam tēpus; conferre manus; Victoria vestra est,  
Qualem forte aliam sæcula nulla dabunt.  
Haud mora. cōmittunt acrē toto æquore pugna.  
Turca perdetur; Victor abit Venetus.

In Turcam.

Fastus Turca tuos iam tandem pone superbos,  
Nēue tuum dicas imperium esse maris.  
Nam Venetos magno Hesperia cū rege Philippo  
Ipse vides toto ponere iura mari;  
Atque breui (crede) adspicies, oriente subactō  
Sub iuga ceruices mittere curua tuas.

Ad Hieronymum Guerrerium Xenion.

Natali Christi mittuntur numerā, sed me  
Indiga paupertas mittere nulla finit.  
Quare pro donis Hieronymæ carmina mitto;

Tu

Tu pro carminibus mittere dona soles.  
Haud secus Augusto versus misisse Maronem;  
Huic illum & contra grandia dona, ferunt.

Votum Scipionis Guerrerij.

Scipio qua fecit caro pro vota parente,  
Alma Dei genitrix, nunc tibi reddit ea.  
Accipe dona, tui puerum seruabis amantem,  
Laureto ad patrios dum redit ille lares.

De eodem.

Aureolos nummos, tus, myrrham & florea ferta  
Dat tibi seruato pro genitore puer:  
Accipe Virgo parens æterni Numinis, & quem  
Seruasti, puerum nunc quoque redde patri.

Ad Augustinum Valleium medicum  
Mantuanum.

Defunctos uita uita medicine priores  
Reddiderint, cupidis Græcia docta probet.  
Certe unū illa refert, odio patris atque nouerca  
Qui pavidus fuerit dilaceratus equis.  
Hippolyte infelix, hoc quid tibi profuit? annon  
Prestabat, quam bis, te perijsse semel?

C 2 Sed



S. FOLIANI

Sed noua succedant Priscis, liceatq. fateri,  
 Phoebææ quam nos sensimus artis opem.  
 Cum male me affectum morbo Libitina vocaret,  
 Qua læuo Phlegethon turbine voluit aquas;  
 Vallæius Ciuis Mantus celeberrimus ille,  
 Optima quem Coi dogmata nulla latent,  
 Presenti admoto membris medicamine, tandem  
 Diuina a morbo me releuauit ope.  
 Quid tibi, quid reddam Vallæi pro numere, uita?  
 Quædo aliud nequeo, Gratia animû et memorê.

Ad Diuitem Iudicem.

Artibus ingenuis excultus Diues & alta  
 Diuinae mentis qui ratione riges,  
 Dic mihi iudicium tanto cur tempore differs,  
 Tam solitus longas increpitare moras?  
 Arbiter est (inquis) tardus componere lites;  
 Tardior at multo tu esse uidere mihi.

De Horatio Fausto.

Arte noua numerisq. nouis dū carmina Faustus  
 Concinit, & digitis dulcia nabra mouet;  
 Eridamus uitrea glaucum caput extulit unda,  
 Orphea, Bistonium vel ratus esse Linum;  
 Et Linus est certe, aut Pægens hic Orpheus, iquit,  
 Orpheus

CARMINVM LIB. 19

Orpheus e campis redditus Elysiis.  
 Ast ubi concedens propius uidet ipse canentem,  
 Nabliæq. insolitum reddere uersa sonum,  
 Vestræ fuit, Veteres, dulcissima musa; uidetur  
 Hæc noua sed multo dulcior esse mihi.  
 Sic ait, & molli conleptus brachia musco  
 Incæptum properans continuauit iter.

De Syluio Calandra.

Vt bene, quid quid agit, cernat, donauit ocellos  
 Cuique homini binos ipse parens hominum:  
 Syluius ast uideat melius quo singula ternos  
 Fert, leuaq. manu vnum, facieq. duos.

De eodem.

Viribus ingenij superet cum Syluius omnes,  
 Certare eloquio seu probitate velit;  
 Quid mirum, ternis si spectans omnia ocellis  
 Vnus plus reliquis omnibus ille uidet?

Paupertas.

Pauperie nemo miser est, opibusue beatus;  
 Sæpe tamen fortes territat illa viros,  
 Hæc latos faciunt. cur sic? si queritur, audi:

S. FOLIANI

*Est aurum in pretio ; pauper ubique iacet .  
Sed pressum morbo Folianum paupere lecto  
Transfer in auratum : nunquid habet melius ?  
Sape loquor mecum , tacitusq. hæc ipse voluto :  
Incipe contentus viuere sorte tua ,  
Liber & impavidus fortunæ oppone superbæ  
Te , studiumq. tuum , pauperiemq. cole ;  
Si carus superis , cunctis si carus amicis  
Esse voles , miseræ despice diuitias ,  
Diuitiæ certe virtus sapientia sunt , quas  
Non hostis non mors est rapuisse potis .  
Hæc mecum . sed cuncta fluunt animo simul , atque  
Adspicio pauper , quod nihil ipse habeo .  
Sic ego nunc cogor de paupertate fateri :  
Horrida paupertas opprimit ingenium .*

Damnosa garrulitas .

*Tantalus esuriens nunc poma fugacia captat ,  
Nunc fluctus quærit fluctibus in medijs .  
Si te forte latet tanti huius causa laboris ,  
Hoc illi damnum garrula lingua dedit .  
Et Lara , furtiuos ausa est quod prodere amores ,  
Hanc pænæ causam scitq. gemitq. suæ .*

Ad Artemisiam puellam .

*Sunt tibi largitæ dotes , venus aurea formam ,  
Artemis & nomen , Pallas & ingenium .*

Si

CARMINVM LIB. 20

*Si nihil in tota spectatur pulchrius urbe ,  
Quam tu ; quid mirum ? tres coluere deæ .*

Dulcia nonnumquam amara fieri .

*Fallaci turdus laqueo pendebat obesus ,  
Cum moriens dixit : nostro iam disce dolore ,  
Me quicumque uides . tutum mihi id esse putari ,  
Picenas olim ut lætus populabar oliuas ,  
Sic nunc lucentes depascere uisibus uuas .  
O dulces uuæ quondam , mihi quam estis amaræ ?  
O & amaræ , nunc dulces quam essetis Oliuæ ?*

Iudicium & Resurrectio mortuorum :

*Felices , quorum mortali parte relicta ,  
Pars melior pennis liquidum uolitantibus aether  
Trauando superas cœli peruenit ad arces ,  
Sub pedibusq. tenet nubes & limen Olympi ,  
Adspectusq. Dei fruitur , non amplius ulli  
Nec subiecta malo , nec turpi obnoxia culpæ :  
Tantum habitare sinu gaudēs patris Altitonantis ,  
Haud prius ide redit , quā corpora cæca sepulcro  
Euocet , atque animas iterum descendere in illa  
Filius ipse Dei iubeat Deus omni parentis ;  
Seu Pater has cælo potius , seu miserit Orco ;  
Lætitia afficiat iustos ut uita perennis ,*

C 4 Ob-

Obscura pendant pœnas & nocte maligni.

Ad Deum opt. max. precatio.

Si Pater Omnipotens quantū commisimus in te,  
 Ipse uelis tantas de nobis sumere pœnas,  
 Et genus humanum cunctamq. ab origine gētem  
 Perdere: quis meritos aris imponet honores?  
 Quis te cantabit facilemque bonumque parentem,  
 Cuius larga habeat finem indulgentia nullum?  
 An quos æterno quondam succensus Amore,  
 E sæuis Orci uinctis, & carcere tetro  
 Ereptos superum in sedes & templa uocasti;  
 Nunc opis expertes, desertos, denique fœda  
 Lanigeras tamquam pecudes contage fameque  
 (Heu miseros) patiere bonus consumier omneis?  
 Ah ne te tantas accendant crimina in iras,  
 Neue neges facilem Pater implorātibus aurem:  
 Namque uides ferri dilapsa cadauera tabo  
 Vrbes per medias (uisu miserabile) plenis  
 Ad foueas feretris, ima & tellure recondi;  
 Non aliter, uaga cum post diluua Amphitrite  
 Destituit nudos extremo in littore pisces,  
 Ventorum ualidis feruescens uiribus illos  
 Obruit unda putres, spissaque inuoluit arena.  
 Obsessas alijs pestis premit ignea fauces,  
 Bubones alijs fœdi tumida inguina tentant,

Tabifico

Tabifico sanies alijs ex ulcere manans,  
 Quas solet hirsutas olidus caper, occupat alas.  
 Nec desunt, quibus inuadit præcordia nullo  
 In cute mortiferum signo apparente uenenum.  
 Hos urit sitis, hos depascitur arida febris,  
 Et tremor incurfans pertentat corpora, seuo  
 Ac ueluti Baccho uictis uestigia nutant.  
 Hi caput, hi nequeunt oculos attollere, nec, quæ  
 Cara fuit, lucem, aut cali conuexa tueri,  
 Infando tantum traiecti corda dolore  
 Diuos implorant, tecta & questu omnia replent:  
 Atque quod ægrorum cōtactus & halitus omnia  
 Inficit, inq. dies magis hæc contagia serpunt;  
 Propterea frater fratrem, soror ipsa sororem,  
 Filius & patrem, carum uxor casta maritum  
 Deserit; ac dulces inter quæ gratia amicos  
 Rara fuit, nulla est hoc tempore; Thesea nullū  
 Pyrihous, nullum Aeneã comitatur Achates.  
 Tantus ubique pauor luctusque & mortis imago.  
 Nec mater teneram curat moribunda puellam,  
 Quam Pollinctores, si nondum experta fuisset.  
 Talia sed fecisse, nefas sit dicere, quemquam.  
 Non artes possunt grassanti occurrere morbo  
 Quasita, meliores & cessere magistri,  
 Cederet & Chiron, si uiueret, atque Melampus.  
 Non tam crebra ruit glacialis ab æthere grando,  
 Multa neci dira quam dantur corpora peste.

Tristia

## S. FOLIANI

Tristia ducuntur sine funere funera passim,  
Et magnæ heu miseris uiduuntur ciuibus urbes.

Quin est, damnis cumulemur ut omnibus, oëis  
Letifer hic morbus funestos reddidit agros,  
Vastauitq. uias, exhausit rura colonis;  
Altricem ut terram nullus iam uertat arator,  
Inq. locum segetis subeant lappa tribuliq.  
Pendeat & frustra grauidis de uitibus uua:  
Non pastor pecudes, non armentarius ullus  
Quadrupedem potum, uel potã in pasua ducit.  
Vnde malum maius peste & crudelius ipsa  
Dura fames cunctis incūbit, & omnium egestas,  
Sollicitusq. timor, ne nostra in viscera natos  
(Concedas meliora pijs, atque hostibus illa)  
Consumptis alijs cogamur uertere morsus.  
Qua mala non uani nobis, sed laua fuit mens,  
Tristia (nunc simus) Vates uentura canebant,  
Ciuii quando incessit discordia motu,  
Atque uiros demens scelerata in praelia misit,  
Scilicet oblitosq. tui, legumq. tuarum.

A te ergo alme Parens, cuius clemētia culpas  
Immensa immensas superans, uel morte sub ipsa  
Quos pigeat scelerum fida spe fulcit, & arctis  
Aegros haud quaquam patitur succūbere rebus;  
Auxilium petimus flentes, ueniamq. precamur.

A te speratam petimus Pater alme salutem:  
Res populi afflictas serues populumq. cadentem,

Ob-

## CARMINVM LIB. 22

Obscœnamq. famem pestemq. horrētia monstra,  
Auertas terris, & nigra in Tartara pellas.

Hoc uelit humanam Christus qui morte salutē  
Pensauit dura: poscatq. prece optima Mater,  
Ipsam quæ Christum pura gestauit in aluo;  
Hoc etiam poscant, qui Christum pone secuti  
Et pro laude tua & pro aternæ munere lucis  
Sponte profuderūt dulcem cum sanguine uitam.

Seruatis uero pro rebus proq. salute,  
(Nam seruare potes solo Deus omnia nutu)  
Siue ferant madidam surgentia sydera noctem,  
Seu rosea pingues sol lustret lampade terras;  
Nos tua cantantes incensa altaria circum  
Quantas dicemus grates? (persoluere namque  
Non opis humanæ est) quanta te laude feremus?

At si de nobis est certum sumere longa  
Supplicia, & uitijs animas purgare nocentes  
Expedi, ignari aut petimus contraria fati;  
Ab canibus saltem prohibe ne inhumata lupisue  
Corpora linquntur laceranda rapacibus; atque  
Tantum animi, & tantas fessis ab suffice vires,  
Ut cum qui mundi tecum moderatur habenas  
Filius immeritas pœnas mortemq. nefandam  
Pertulerit nobis ipsis pro fontibus insons;  
Hæc ipsi fontes factis mala debita nostris  
Aequo animo, atque malis iuncta mēte seramus:  
Purgati quo labe nigra, nexuq. soluti

Cor-

S. FOLIANT

Corporis in cælo latum pæana canamus,  
Aeternoq. fruamur cum caelestibus auo.

Conuiuij apparatus.

Lauta manet lætis mēsa hæc decorāda trophæis,  
Aedibus in medijs quam posuit dominus.  
Cretatis pueri mappis hanc sternite, ponam  
Nunc ego cum uernis lilia cana rosis.  
Ipse dabit paruos lepores capreamq. fugacem  
Cres Alcon syluis cognitus Hesperijs,  
Capreolosq. duos, damamq. aprumq. minacem,  
Et ceruum alipedem, quos habet ille domi,  
Vicino nuper captos in monte, Sicamber  
Ductus quo fuerat, Petroniusq. agilis,  
Quoue libyx, & tres alij de stirpe Molossa,  
Et canis Hircanus, vंबर & ipse ferox.  
Hos genere ex omni venatum duxerat Alcon,  
Ne domini præda mensa parata uacet,  
Audierat quando Persen, nigrumq. Gelonum  
In lustris tectas iam reperisse feras.  
Tu uero mea Prilla coquo tua munera pingui,  
Quotquot erunt, rauca trade cohortis aues.  
Non deerunt pisces nobis, non ostrea, quondam  
Ostrea quæ in conchis tuta fuere suis;  
Non bona uina, bonus Phrygijs aut qualia Ace-  
Icarus aut dederat qualia Cecropijs. (stes,  
Sed

CARMINVM LIB. 23

Sed mensam Diana tibi nunc dedicat Heros,  
Et tibi, qui medicæ es (Phæbe) repertor opis;  
Scilicet ut semper præda adsit plurima mensa,  
Blandaq. conuiujs adsit ut ipsa salus:  
Partem etiam Cereri, partem dicat atque Lyæo,  
Ut Pater hic nobis, & sit amica Ceres.  
Culta charis ueniet duplici comitata sorore;  
Et Musa argutam læta ferens citharam;  
Quamq. uolat circumq. locus circumq. cupido,  
Ad nostras epulas ab Ioue nata Venus.  
Sic noua conuiujs plendescet mensa beatis,  
Nec quod turbet erit gaudia nostra malum.

Voluptas esca malorum.

Ex magni dictis hæc Plautus uerba Platonis  
Trāstulit in latiū. Est homini quādoque uoluptas  
Esca malorum: quod capiat nos nō minus illa,  
Quā pisces hamus. nec quidquā uerius hoc est.

Corruptum iudicium vulgi.

Nil auro melius, proiecta & uilius alga,  
Vulgus ait, spretis dotibus ingenij:  
At sapiens inquit, nihil est uirtute receptum  
Vtilius mundo, nobiliusue nihil.

De

S. FOLIANI

De Baldini Musæ.

Argolicaq. lyra fretus fidibusq. Latinis  
In latium ducit Baldinus ab Hellade Musam:  
Spargit equi latices quæ Bellorophontis amœnos,  
Instar apis legit & parvæ liquentia mella,  
Humane ad multos usus ac commoda vitæ.  
Qui non a surgit uenienti me hercule dignus  
Doctorumq. hominum risu iuuenumq. uidetur.

Ad Theodorum Sangeorgium, prin-  
cipem Academiæ.

Celsa quod argutis resonant tua tecta Camœnis,  
Et Theodore tibi succinit omnis olor;  
Nimirum tanto latantur principe Musæ,  
Currit & ad nutus docta Thalia tuos.  
Mæste igitur tristes numquã experiere tenebras,  
Sed tibi cum Phæbo gratia semper erit.

Ad Benedictum Herbam Episcopum  
Casalensium.

Nectareos latices magnum potasse Tonantem,  
Ambrosias epulas atque iniisse ferunt:  
Sed quibus Herba piû pascis pecus optime Christi,  
Pabula peruincunt nectar & ambrosiam.

An-

Antonij Boneti Foliani tumulus.

Arida marmor habet tantum senis ossa Boneti,  
Atrox & quidquid mors potis est rapere;  
Non Bonitatem, quã contra nil iuris habet mors,  
Quaq. sibi ad superos mens pia fecit iter.

In Annibalis Cruceij sepulchrum.

Hoc quod Annibalis uides sepulchro  
Sculptum nomen, & hisce marmoratis  
(Hospes) laudibus; haud fuit Latini  
Pœnus hic populi cruentus hostis;  
Sed CRUCEIVS, eloquens uir ille,  
Qui siue historia grauis pedestri,  
Seu quid carmine condidit Latino,  
Facundi Ciceronis id fuisse  
Scriptum, uel nitidi Maronis æuo;  
Quisquis eloquij foret Latini  
Gnarus, diceret. Hinc, ut ille belli  
Parteis laude nitet per orbis omneis,  
Hic sic ingenio nitet peracri.

Delia a marito furioso occisa.

Delia cum furij agitati tela mariti  
Sensit & ex imo pectore labi animam;

Ve

**S. FOLLIANI**  
Vt turpis culpa sum conscia nullius (inquit)  
Et mea, dum uixi, nota fuit probitas;  
Sic faciant Superi, quorum pia numina testor,  
Ne famam laedat lingua proterua meam;  
Nec Natis detur, quas linguo inuita, duabus  
Hac umquam probro mors violenta meis.

**Virgiliana imitatio.**

Vt magno Aeneae Dido teneretur amore,  
Et dulci Teucros hospitio acciperet;  
Ascanij pueri puer induit ora Cupido,  
Atque illam caeco callidus igne rapit.

**De Stephano Guatio.**

Guattius Etrusci exponit dum carmina vatis,  
Perperditq. acri singula iudicio.  
Aethere de puro uox est audita poetae;  
Guatti, tu numeros, tu mea uerba tenes.

**Ad Stephanum Regium.**

Si nomen spectro, nil praeter, Regius es tu;  
Si simul ingenium, rex mihi semper ades.  
Neflora consilio quoniam uincis, minor annis  
Antilocho, nec te est fortior Antilocho;  
Virtute

**CARMINVM LIB. 25**

Virtute est nomen dignum, tua nomine uirtus,  
Conueniensq. tuum regibus ingenium.

**In apostatam pro Sancta Ecclesia Catho-  
lica ad Valturenos.**

Me miseram tanto cur estis tempore passi,  
Hunc lingua rabulam dilacerare mala?  
Certe equidem laceror, summi quod iussa Parætis  
Omnia subuertit garrulus hic nebulo.  
Quid quaeso doceat ueri expers? nil nisi dirum,  
Credite. nam Christi cognitione caret.  
Prò scelus infandum. tantam non tollere Lernæ  
De medio? cari tollite Christicolæ.  
Ante leui noceat quam tristis bellua vulgo  
Amplius, est sancta sacrificanda manu.

**In eundem.**

Quem sanctum vate (pueri) & doctum esse poetam  
Creditis, hic certe maximus est nebulo.  
Artibus his vates nullus, queis deditus hic, est;  
Nimirum uentri hic, & studet hic Bromio.

**Ad Ioannem Canem.**

Est odio lepori canis; at lepus ipse Dianæ

D Atque

S. FOLIANI

Atque homini carus, carus & ipse Canis:  
Nēpe hōini datur esca lepus, datur atque Diana,  
Qui capitur canibus, quos amat ipsa Dea.  
Carior at quanto debes homini esse Deaq.  
Quā canis & lepus est; qđ uir es, & canis es?  
Quandoquidem uir re; canis es sed nomine tantū,  
Cui par nec Procyon, nec Canis aut Lepus est.

In Veneficam mulierem.

Est Circe priscis multum cantata poetis,  
Quæ medicata uiris pocula sæpe daret:  
In noua queis esset mutandi corpora formas  
Vis data, sed cautis nihil nocitura uiris.  
Ast illa nostro reperitur fœmina sæclo  
Herbis plus multo carminibusq. potens.  
Nam tantum incautos conuertit filia solis  
Inq. canes homines, inq. timenda lupos:  
Hæc uero cautos etiam petit, atque veneno  
Inq. feras uertit, monstraq. & in lapides.  
Huic facies qualis vultusue est; talis & illi  
Forma fuit, similis uox, genus, ingenium.

Ad Annibalem Magnocaballum.

Cum quid condenset nebulas, ipsasq. resoluat,  
Plurim usut nigro descendat Iuppiter imbri,  
Aut

CARMINVM LIB. 26

Aut eat in rorem, aut cana tegat arua pruina,  
Vel niue, vel dura glaciatus grandine; quæ vis  
Excitet & uentos tanta, ut uada cœrula turbēt,  
Vndas ad cœlum curuato & gurgite mittant;  
Cur ignes rutili liquidum per inane ferantur;  
Imbriferamq. Irim quid mille coloribus ornet;  
Fontibus & vitreis sua sint quæ exordia; tellus  
Altera cur auro fluat, & fluat altera ferro;  
Cognoscas, veterumq. palam commenta refutes,  
Indocti non ulla sequens uestigia vulgi,  
Annibal es felix, ac par heroibus illis,  
Artibus erudiens olim quos docta Minerua  
Ereptos populi de tempestatibus atris,  
Lumina, cum sudum est, ueluti radiatis Olympi,  
Terrarum totum dat adhuc splēdere per orbem.

Ad Gallam.

Lacteolas inter latuit dum Galla papillas  
Pulcher Amor, nitidis incubuitq. genis;  
Sordebant omnes, unum tibi præter Alexim,  
Solutus qui sensus flexit amore tuos.  
Non mea te quibant inflectere munera, non quæ  
Munera Pactoli diues arena uehit;  
Non ea, connubij uoluit quam pronuba Iuno  
Esse ratam, poterat flectere cana fides:  
An, quia te a diuo iactares Daphnide clarum



## S. FOLIANI

Et genus & nomen ducere, Alexi, tuum?  
 Daphnis erat syluis, hinc vsque ad sydera notus;  
 Sed genus a magno non trahit ille Ioue.  
 At me, si generis spes primordia, mater  
 Montibus Oenone protulit Iliacis.  
 Iliacis peperit me Nympha in montibus, ipso  
 Quæ, male cauta, dolis ab Ioue capta fuit.  
 Haud secus Oebalio deceptam in littore fratres  
 Tyndaridas Ledam progenuisse ferunt.  
 Cur memorè auctores generis, Nymphæq. Iouëq.?  
 Hoc proprijs numquam laudibus annumeres.  
 Nec cupio facias. aliud te, Galla, moueret,  
 Illi pulchello quo antefendus eram.  
 Nâ choreas pedibus faciles sum plaudere doctus  
 Et satyros cursa uincere capripedes;  
 Adde etiam, Partho torquere cydonia cornu  
 Spicula uel ceruos ipse ferire leues.  
 Si mecum certet iaculis & nobilis arcu  
 Cres Alcon, uel te iudice uictus erit.  
 Hæc quam fluxa tamen? deflorescente inuenta  
 Protinus (heu) dotes corporis intereunt.  
 Præstat id; abductū matris qd ab ubere Pallas  
 Me puerum ingenuis artibus erudit,  
 Seruabunt artes etiam post funera nostrum  
 Cognitum & Eois nomen & hesperijs;  
 Vatibus ac sacris mecum celebrabitur Aegle,  
 Sydera dum cælum, dū mare habebit aquas:  
 Aegle,

## CARMINVM LIB. 27

Aegle, quæ nostrum ut sensit te spernere amorē,  
 Et me, pæne anima deficiente, queri;  
 Galla, (Mycon) quæ te fastidit propter Alexim,  
 Est, inquit, nostra condicione minor:  
 Quæ quamquã forma Antiopæ præstare uidetur,  
 Esseq. Spartana pulchrior Hermione;  
 Naiadibus, quarum sum ego formosissima longe,  
 Illa tamen multo cernitur inferior.  
 Dilige me potius, teneri quam mater Amoris  
 Connubio stabili præcipit esse tuam.  
 Sydere am ut uidi amoto uelamine frontem;  
 Oraq. purpureis assimilanda rosis,  
 Qualia, nocturnum linquens Aurora cubile  
 Tithono, præfert, Sole ferente diem;  
 Continuo erexi mentemq. animumq. recepi,  
 Hæc mihi cara magis nec fuit ulla dies.  
 Diua potes Cypri uenit, Iunone secunda,  
 Prætulit & tædas rite uocatus Hymen.  
 Ex illo sordere mihi tu tempore Galla  
 Cœpisti, quo Aegle dulcis amica fuit.  
 Ante tamen superos fueram per sepe precatus,  
 Aris imposito munere thuricremis;  
 Si scirent turpi quod Galla arderet Alexim,  
 Si Gallam casto paruus amore Mycon,  
 Stultitiæ pœnas aliquando ut penderet illa,  
 Exemplo & reliquis omnibus una foret.  
 Audiuit tandem Venus & mea uerba Cupido,  
 D 3 Callidus

## S. FOLIANI

Callidus hic arcu, ast illa nocere face.  
 Ardet amore Lyces, te spreta, bellus Alexis;  
 Tu me nunc uelles; non licet esse tuum.  
 Ille tuos seruet, qui te sibi iunxit, amores;  
 Illa meos, quæ me iam sibi iunxit, habet.  
 Ante canem rapidum timido lepus ore fugabit,  
 Raptoremq. petet Sima capella lupum,  
 In Chaos aut iterum discreta elementa redibunt,  
 Vel totum fiet, quod fuit ante, nihil:  
 Quæ nisi, quæ nostros Aegle est miserata labores,  
 Vlla meo recubet femina iuncta toro.

## Ad Botatium equitem.

Sit nullus quamuis atavis e regibus ortus  
 Mæcenas, tristes qui hac tempestate poetas  
 Respiciat, quando uel desertis Aganippes  
 Fontibus esuriens descendit ad atria Clio;  
 Nulla sit & ratio studiorum, spesue relicta  
 Vatibus his doctis, nectunt quicumque canoris  
 Eloquium uocale sonis, arcanaq. cæli  
 Mente agitant, et causas naturæ: at tamè aures  
 Ducimus esse pium mordaci radere uero,  
 Luxuriosorum & fastus taxare superbos,  
 Illos cum rident, queis non fortuna secunda est.  
 Diues erat, patria nummos & habebat in orca,  
 Ingentesq. domi spectabat farris acervos,

Quem

## CARMINVM LIB. 28

Quæ modo paupertas premit, ac iubet ire rogatū  
 Pera buccellas panis carnisq. peruncta  
 In cœnam mensa lapsum de diuite frustum.  
 Quæritur, an qui sic? dicam, fors improba nullū  
 Aut paucis fauet usque. hunc euertit, beat illū,  
 Et contra iniusto arbitrio quidquid dedit illi,  
 Ereptum confert huic. at reliqua, ut breuior sim,  
 † Omitto. fatorum sit quæ meta suorum, † Præterit  
 Scit nemo. fortunæ fidendum neque. mortem  
 Nō nisi post quidquam est mortalibus exploratū.  
 Cur igitur uides miserum & suspendis adunco  
 Stulte nepos naso? Nescit quid crastina secum  
 Hora ferat, quid fures quidue incendia possint,  
 Tu mihi respondes, Bottati: qui sapis, esq.  
 Vir bonus & prudens. itidem respondeat & qui  
 • Consilium tandem uictusq. salubre Solonis  
 Impositusq. pyræ agnouit: Neminem esse beatū  
 Dicendum cineres ante. aurum si mihi monstret.  
 Quis Deus, ut possim (inquit Mercenarius) agrū  
 Mercari a domino, toties quem pauper arauī,  
 Contentus uiuam. spes hæc solatur egentem;  
 Hac ego traducor. fiat mutatio rerum,  
 Ut fortuna solet nostris illudere rebus;  
 Græcari, assuetusq. cibum qui spernere uilem est,  
 Hac bona deficient: forti hūc animo esse iubebo;  
 Non ludam infidæ doctus ludibriæ Diuæ:  
 Hac licet & de re pueri uellant mihi barbam,

D 4 Ignari

S. FOLIANI

Ignari nobis quid pars ferat ultima uita,  
 Quid bona mens, moresq. boni, quid flagitet et ius  
 Fasq. animi, incoctū generoso & pectus honesto;  
 Susq. & deq. fero. & qa munere fungor amici,  
 Hoc quod habēt uitij, dū corrigo, ferre necesse est.  
 Illuc sed redeo. nobis praesidimus ipsi,  
 Nec quos esse Deus uoluit nos, quae locarit  
 Rebus in humanis parte; hoc nec γυναικαυτορ,  
 (Quāquā difficile est se noscere) quid moneat nos  
 Discimus, aut nostro teneat quid mantica tergo.

Carmen nuptiale.

Lucidus occiduo redijt iam vesper ab orbe  
 Et grato thalamis accendit lumine, Olympum,  
 Cuius & aduentu uigilat custodia solers,  
 Et face non lucet sponsis incundior ignis.  
 Surgite, Io noua nupta uenit, consurgite nupta,  
 Dicite, Hymē Hymenae ueni, ueni Hymē Hymē  
 Virgo uenit caro iuueni desponsa parēte, (nae  
 Optatū amplexū ut tandē & noua gaudia tentet.  
 Innupta iuuenes procul hinc secedite, uestram  
 Ite domum, satis est Hymenaeum dicier istis:  
 Copia dum fiat uobis quoque grata mariti.  
 Surgite Io nupta, iam tempus linquere mensas,  
 Dicite Hymē Hymenae uēi, ueni Hymē Himēae.  
 Cernitis, ut graditur uultum suffusa rubore?

Vtq.

CARMINVM LIB. 29

Vtq. oculos non tollit humo assuefacta pudori?  
 Tolle oculos matura uiro, iam mitte timorem:  
 Hūc nō uult Amor, hūc nō uult bōa mater Amo  
 Quae gaudet riju, et petulāti saepe cachinno. (ris,  
 Surgite, uirgo uenit, nupta consurgite contra,  
 Dicite Hymē Hymēae uēi, uēi Hymē Hymenae.  
 Sparge marite nuces; uirgo tibi ducitur uxor,  
 Sanguine de claro, & sanctum bene docta pudorē.  
 Est par connubium. fausto cum sidere uenit  
 Expectata dies. tibi deserit Hesperus Oetam.  
 Intonat & lauum. auditis? de parte serena  
 Perspicuus multo & fulgor cum lumine fulget.  
 Linquite iā mensas nupta, & cantate Hymenū.  
 Belle ueni, formose ueni, tadamq. iugalem  
 Prafer, & hae placidis firma connubia uotis.  
 Ecce Hymē, Hymenaeus adest; bona dicite uerba  
 Expertae nupta; ad thalamū dein ducite nymphā.  
 Tolle pedem uirgo niueum leuissima; coniux  
 Os, humeros Phæbo similis mox ipse sequetur,  
 Qui pulchra pulcher faciet te prole parentem.  
 Cernis curriculo ut uenit Hymen ipse uocatus,  
 Flameolūq. adfert, gaudēt qd cernere nymphae?  
 Expertae nupta ad thalamum iā ducite nymphā.  
 Ne dubita, iam tolle pedem pulcherrima Virgo.  
 Quid cessas? quidue amplexus, qd gaudia differs?  
 Nox ruit Oceano, tibi qua iucundior ulla  
 Non erit. hac Veneri nulla est iucundior hora.  
 Ingre-

S. FOLIANI

Ingrede, & tua q̄ bona sunt, age p̄cipe prudēs.  
 Expertæ nuptæ ad thalamum iã ducite nymphã.

Recte habet. ingressa est tandem. modo claudite postes,

Et reuocate gradum matres. nam cetera lectus  
 Nox & Hymē et Amor possunt Geniusq. docere.  
 Iam ludūt; geminata sonāt iam murmura. felix,

O felix Virgo tali coniuncta marito:

O felix tali coniux coniuncte puella.

Ludite felices. nox hæc sit longior anno:

Qua uos castus Hymen & Amor iunxere; nec  
 vlla

Cura grauis tenerū pectus coquit, & noua dulcis  
 Connubij seynes præcludunt gaudia somnos.

Ludite felices. nox hæc sit longior anno:

Qua vobis licet ætatis iam carpere florem:

Vere nouo ut flores Zephyri spirantibus auris

Innumeri, letisq. herbæ nascuntur in hortis;

Sic quos iungit Hymen ipso sub flore iuuenta,

Ex his (uera loquor) multi uoluentibus annis

Nascuntur pulchri pueri pulchræq. puella.

Felices igitur uiridem exercete iuuentam,

Dum datur, & primos ætatis carpite flores;

Vnaq. nox toto, precor, hæc sit longior anno.

Ad

CARMINVM LIB.

30

Ad Matrem familias.

Plena tui donas uicinis sanguine porci

Intestina Parens, grata Parens nimium;

His etiam, quando tibi munera parua uidentur,

Addis setigeri multa tomacla suis.

Da quod vis, (laudo) ut mores seruentur auorū;

Sed quibus hoc dones, te precor, ut uideas.

Ad Nicolaum Albertum responsio.

Non Alberte meis agrestia numina Fauni

Carminibus faustos concinere modos;

Non Nymphæ, Satyriue leues, Driadesue puella,

Turba diu choreis docta mouere pedem,

Gismundo duxere choros, quod Pallade dextra

Te imparibus cecinit pro merito numeris:

Illa sed adsurgit permistis carmine nostro

Laudibus Heroum, quos tua terra tulit.

Agnouere Patrem, Proauos, omnemq. tuorum

Progeniem, aternis nomina digna notis.

Hinc canere, hic alacres festas ductare choreas,

Hinc animi ingentem promere letitiam.

Quin etiam quondam extorres de uertice Musæ

Pierio celeres huc retulere pedem;

Gratanturq. tuo reduces quod munere tandem

Anti-

## S. FOLIANI

Antiqua hac liceat nunc sibi sede frui .  
 Quare iter incœptum felici perface cursu ,  
 Pieridesq. sacras excipe mente , domo .  
 O te quanta manet uenturis gloria sæclis ,  
 Gloria non ullo dissoluenda die ,  
 Vltima dum superis , dum terris proxima cælum  
 Aurea pernici Luna recurret equo ,  
 Dumq. mari Titan radiantia lumin a spargens  
 Eoo exsurget , dum cadet Occiduo .

Ad Franciscum Albertum Nicolai  
 filium responsio .

O proles Equitis candida splendidi .  
 Non si me erudiat Mercurius , tibi  
 Grates soluere dignas  
 Possem munere pro tuo .  
 Misisti Cererem , Nyctelium , mare ,  
 Nec non mel , uolucres , uina Chia , ex quibus  
 Possit cœna parari  
 Mensis lautior Atticis .  
 Hæ quamuis minime conueniant mihi  
 Regales epulæ ; tu tamen e penu  
 Ampla promis , ut inde  
 Quam sis munificus sciam .  
 Sed rursus lepidis uersibus e tuis  
 Tale omen capio , quo Marius , neque

Quicum-

## CARMINVM LIB2

31

Quicumque in monumentis  
 Priscorum legitur , magis  
 Felix uix habuit . si in seriem tua  
 Detexes aliam uerba , recluseris  
 Sensus quippe animi altos .  
 Quod das non sine numine .  
 Id tantum , ingenium cum mihi sit rude ,  
 Obtusum , sterile , expers Veneris , leue ,  
 Crassa libo Minerua ,  
 Saltem ut conijcere audeas .  
 Tu nunc paruulus ad morem apis undique  
 Florum mella legis , pectus ut impleas .  
 Hinc crescens Philomelæ  
 Vocem carmine tu exprimes .  
 Porrò uirgineus Pieridum chorus  
 Tam doctum efficient , non modo ut ipsius  
 Diui labra Platonis  
 Clari & Stesichori tua  
 Virtute exuperes : sed ueluti mare  
 Doctrinæ eximia ex ore tuo inclyto  
 Orbi flumina fundas ,  
 Phæbumq. equipares tua  
 Fama . tum quoniam Nyctelius suis  
 Donis , atque Ceres efficiunt opum  
 Immensum Oceanum te ,  
 Cum nil defuerit tibi ,  
 Excepta ambrosia ; Iuppiter in deorum  
 Assumet numerum , nectare ubi insidens

Viues

S. FOLIANI  
Viues ambrosiaq.  
Hæc omen docuit. Vale.

FINIS.

Simonis Gazolij Genuensis ad Sigismundum Folianum Carmen.

Qui nunc præclara dicendi excellat in arte,  
Mellifluo aut lepidos fundat ab ore modos,  
Haud facile inueniat, quouis quis quærat in orbe;  
Multo, qui pariter præstet utrumq; minus:  
Ast in te gemina hæc est sic Foliæ facultas,  
(Quod certè nulli contigit ante viro,)  
Certatim ut Maia genitus uideantur, & almo  
Cum phæbo Aoniæ te excoluisse Deæ.  
Ac bonus orator quamuis bonus atque poeta  
Sis, tanto ac tali munere diues eas;  
Illud ualde animis dubium tamen ipse relinquis,  
Plus in utro excellas, plusue in utro ualeas.  
Romani ueteris, casti, uerèq; Latini  
Eloquij, & sophiæ quem tenet ergo sitis,  
Huc lætus properans Foliæ diuite uena,  
Et puro Diuum munere fonte bibat.

Registrum.

A B C D. Omnes sunt Quaterniones.

MEDIOLANI.

Apud Pacificum Pontium. Cum licentia Superiorum.